Aletheo-
POLYGAMIA
Triumphatrix
&
Zeidleri
de
Polygamia.

1682

34434/B/1
O. xiv. a
7/
by J. Syser



6/

41

see HARPRECHT

De fabula Lyseri et ... in Suecia vid. J. Werndorff Diss. de Polygamia p. 8.

Joh. Lyser fuit Lipsiensis Diacon. Pastor et Superint. Leidensis vid. Quenstadii System. P. IV. p. 467. in artic. de Conjugio. Deinde ad Portam translatus et depositus est.

Joh. Lyserus mox sub Theophil. Aletheus, mox sub Vincent. Athanasii, mox sub Gottlieb Wahrmund nomine latitans scripsit et tract. lingua Germ. ... Sünde ... allen ... Conf. Buddei Theol. moral. p. 671. refutavit eum Jo. Brunnemannus in Monogamia victrice Francof. 1679. 8.

MELCHIORIS ZEIDLERI,

SS. Theol. D. & Prof. Publ. Eccleſiæ it. Cathedralis Regiomonti Paſtoris

TRACTATUS DE POLYGAMIA,

in quo diſquiritur,

An ſit contra jus naturæ, aut contra jus divinum ſub N. T. ut circa eam diſpenſari nequeat?

Acceſſit

EJUSDEM DE MATRIMONIO cum SORORE UXORIS DEFUNCTÆ DISQUISITIO:

An tale matrimonium ſit contra jus naturæ, aut contra jus divinum poſitivum, ut circa illud diſpenſari nequeat?

E. F.

PHILIPPUS JACOBUS Hartmann/
Phil. & Med. D. P.P.

HELMESTADI,
Typis & ſumptibus GEORG-WOLFGANGI HAMMI
Acad. Typogr. Anno 1690.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

I. N. J.

De Polygamia Simultanea, an ſit contra jus Naturæ aut contra jus Divinum ſub N. T. ut circa eam diſpenſari nequeat?

§. I.

QUid LEX NATURÆ dicatur, notum eſt. Nempe eſt illa nihil aliud, quàm dictamen rectæ rationis, indicans actui alicui ex ejus convenientiâ aut diſconvenientiâ cum ipsâ naturâ rationali ineſſe moralem neceſſitatem aut turpitudinem, ac conſequenter ab auctore naturæ, Deo, talem actum aut præcipi, aut prohiberi. Eò enim tendit lex naturæ tota, ut homo naturæ ſuæ, id eſt, *rationi* convenienter vivat, utpote in quâ natura hominis præcipuè conſiſtit, quâque à brutis diſcriminatur. Undè & STOICIS paſſim beatè vivere, qui finis eſt legis naturæ, idem eſt, quod vivere ſecundum naturam. Sic enim Zeno lib. de naturá hominis apud Laërtium lib. 7. in vitâ Zenonis: τέλος, inquit, ἐστὶ τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν, *Finis hominis eſt convenienter vivere naturæ.* Hunc ſecutus poſtea Cleanthes lib. de Voluptate, nec non Hecato & Poſidonius lib. de finibus. Quanquam Johannes Stobæus in Eclogis lib. 2. cap. 4. Zenonem affirmet τὸ τέλος ſive beatitudinem dixiſſe ſimpliciter τὸ ὁμολογουμένως ζῆν, *convenienter vivere.*

Cleanthem autem primum adjeciſſe τὸ τῇ φύσει. Quod amplexi hinc fuêre & alii Stoicorum. Veluti Cicero qui lib. 3. de finibus felicitatem apertè ait non aliundè eſſe, quàm *congruenter naturæ convenienterq; vivere*. Et Senecalib. de vitâ beatâ cap.31: *ſolemus*, inquit, *dicere, ſummum bonum eſſe ſecundum naturam vivere*. Secundum naturam autem vivere idem illis eſt, quod ſecundum rationem vivere & quidẽ rectam. Ab hac enim quod abit, non κατὰ φύσιν *ſecundum naturam*, ſed παρὰ φύσιν, *præter naturam* eſt comparatum. Secundum rationem rectam autem vivere eſt honeſte & ſecundum virtutem vivere. Ex quo Cicero rurſum lib.3. de officiis: *Quod autem*, inquit, *Stoicis dicitur convenienter naturæ vivere, id habet hanc, ut opinor, ſententiam, cum virtute congruere ſemper*. Et Philo Judæus lib. de migrat. Abrahæ: *Finis*, ait, *hominis eſt* τῇ φύσει ζῆν, *juxta naturam vivere, quod fit, quando mens ingreſſa virtutis ſemitam incedit per rectæ rationis veſtigia*. *NATURÆ* ergò *LEGI CONSENTANEUM* eſt, quod congruit naturæ hominis, rectæ rationi, virtuti & honeſtati, veluti Deum eſſe colendum, honorandos parentes, nemini inferendam injuriam, & quæ ſunt alia talia. Unde & Chryſippus lib. de honeſto apud Diogenem Laërtium lib. 7. legem naturæ ac rectam rationem conjungit, cùm ait: φύσει τε τὸ δίκαιον εἶναι, καὶ μὴ θέσει, ὡς καὶ τὸν νόμον καὶ τὸν ὀρθὸν λόγον, *naturâ quoq; jus, non poſitione conſtare ſicuti & legem & rectam rationem.*

II. Jam porrò natura ſemper primò intendit, quod eſt optimum & perfectiſſimum, ſicut & Ariſtoteles docet lib.2. de Gener. & corrupt. t.59. his verbis: *Natura ſemper in omnibus appetit id, quod eſt melius*. Non aſſequitur autem ſemper id, quod primo intendit, ob aliqua impedimenta: indè reſilire aliquando cogitur à primo inſtituto, atque in ſecundis & tertiis conſiſtere; quæ tamen omnia è veſtigio

gio παρὰ φύσιν ſe habere non ſunt dicenda dummodò perfectioni, quam intendit natura, non planè ſint adverſa. Ex. gr. intendit natura primâ intentione generationem maris, ceu ſexus perfectioris: hunc autem cùm nequit producere ob defectum materiæ vel aliam aliquam cauſam impedientem, producit fœminam, quæ tàm perfecta quidem non eſt, quàm mas, ex quo & formatio ejus Ariſtoteli παρέκβασις dicitur, ſive *excurſus* quidam aut *digreſſio* à primo naturæ inſtituto, παρὰ φύσιν tamen comparata dici non poteſt, quod non planè nihil ſed multum habeat perfectionis iſtius, quam natura rei generandæ conſtituerat conferre. Quâ de re videndus Ariſtoteles *lib. 2. de Gener. Anim. c. 3. & lib. 4. c. 3. & 6.* nec non Galenus *lib. 4. de uſu partium c. 6 & 7.* LEGI ergò NATURÆ id maxime eſt CONFORME, quod *maximè* congruit naturæ hominis, id eſt, rationi rectæ & honeſtati, quod autem aliquâ ratione ab optimo illo abit, non è veſtigio ei adverſum eſſe dicendum eſt, dummodo ab honeſtatis legibus non omninò declinet, aut turpitudinem præ ſe ferat manifeſtam. Non enim continuò malum eſt, quod non eſt optimum. *Optimum*, ait Ariſtoles *lib. 1. Ethic. c. 1. & 5. eſt, quod propter ſe expetitur, cum alia expetantur propter ipſa.* Nec tamen ideò, quæ propter illud expetuntur, mala ſunt, ſed & ipſa bona, utut ſecundæ aut tertiæ menſuræ. Habet ſe hæc res perinde ac cum pulchritudine. Eſt ea *corporis quædam apta figura membrorum cum coloris ſuavitate*, ut Cicero eam definit. lib. 4. Tuſculan. Quæſt. Quando ergò membra corporis ita ſunt figurata, ut optimam habeant diſpoſitionem tam in ſe ipſis conſiderata, quàm in habitudine erga ſe invicem, cum ſummâ coloris ſuavitate, eſt ea pulchritudo exacta & omnibus numeris abſoluta; nec tamen extemplò deforme eſt, quod diſpoſitionem illam ex aſſe non aſſequitur, ſed deviat ab eâ aliquantum.

III. His ſuppoſitis nunc ulterius quæritur, quodnam circa matrimonium naturæ hominis rectæque rationi magis ſit conſentaneum, virum habere unam uxorem, an plures? De eo quid ſentiendum ſit, ut conſtet, reſpiciendum ante omnia eſt AD MATRIMONII FINEM. Finis enim eorum, quæ ſub actionem cadunt, primum eſt *κριτήριον* & norma, ad quam iſta ſunt exigenda. *Optimum* namque eſt atque id, *cujus gratiâ ſunt reliqua lib. 6. Topic. c. 8. §. 25.* indeque *cauſa, principium* & *hypotheſis, 7. Ethic. ad Nicom. c. 9. 1. Eud. ult. lib. 2. c. 11.* FINIS ergò MATRIMONII præcipuè eſt DUPLEX. Et PRIMUS quidem eſt *procreatio ſobolis.* Cum enim res unaquæque Dei æternitatem, quoad licet, æmuletur, res autem animatæ, quippe naturâ corruptibiles, in individuo naturam ſuam conſervare nequeant, affectant eam ſervare in ſpecie, quemadmodum benè concludit Philoſophus *lib. 2. de Gen. Anim. c. 1.* ita ſcribens: *Quia natura animalium æterna eſſe non poteſt æternum fit, quod gignitur eo modo, quo licet. Numero igitur cum eſſe non poſſet, ſpecie fit.* Et *lib. 2. de Anima t. 34, 35. Naturaliſſimum eſt, omnibus viventibus, quæ quidem perfecta ſunt in ſuo genere, non monſtra, gignere aliud, quale ipſum, animal quidem animal, planta autem plantam, ut participia fiant ſempiterni & divini, quatenus quidem generabilia poſſunt. Omnia enim hoc volunt & ejus gratia faciunt, quæ faciunt ſecundum naturam.* Quam ob cauſam & Plato in *Convivio* fœtificationem & generationem ait eſſe *πρᾶγμα θεῖον καὶ ἀθάνατον ἐν θνητῷ ζώῳ*, *opus divinum & immortale in animali mortali.* Jam autem cum homine æquè ut cum aliis animalibus perfectis ita res comparata eſt, ut per ſe ſolum ſimile ſibi non procreet, ſed diverſitate ſexus egeat, mare fœcunditatem, fæminâ autem materiam fœcunditati ſubminiſtrante. Qua de causâ & Ariſtoteles paſ-

ſim

ſim *marem* ait eſſe id, *quod poteſt generare in alio, fæminam* autem, *quod in ſe; marem* eſſe *agens, fæminam patiens.* Et Empedocles apud Ariſtot. *lib.4. de Gen. Anim.c.1.* Διέσπασται μελέων φύσις ἡ μὲν ἐν ἀνδρείοις, ἡ δ᾽ ἐν γυναικοῖς. *Diviſit natura partes, pars una puellis, Una viris dedita eſt.* Non poteſt enim aliquid eodem modo conſtitutum formæ rationem obtinere & materiæ, nec idem ſimul agere & pati. Duplex quoque ſi ſecus contigiſſet, in uno corpore nativa adfuisſet temperies, calida ſcilicet & frigida, quod eſt, abſurdum. Formavit itaque jam inde ab initio Deus maſculum & fæminam, qui ſtabili connubio conjuncti ad ſpeciei propagationem conſpirarent; & utrique inſuper veneris inſevit igniculos, quibus ad hoc opus accenderentur. Quin & membra genitalia diſtincta conceſſit, ex quibus neceſſitas & diſcrimen ſexus intelligeretur. Rapiuntur ergò in mutuos amplexus impulſu ipſius naturæ mas & fæmina, ut generationi intenti genus ſuum propagent atque conſervent. Unde Phocylides: Μὴ, inquit, μείνης ἄγαμος, μήπως νώνυμος ὄλῃαι. δός τι φύσει κ᾽ αὐτὸς, τίκε δ᾽ ἔμπαλιν ὡς ἐλοχεύθης. *Ne maneas cœlebs, ne forte obſcurus pereas, Da aliquid natutur æ, & gigne viciſſim, ſicut genitus es.* Pariter & Ennius in Cteſiphonte apud Feſtum in verbo Crœſo: *Ducit me uxorem liberorum ſibi alendorum causâ.* Et in Andromeda: *Liberûm quærendorum cauſâ familiæ matrem tuæ.* Menanderque Comicus apud Clementem Alexandr. *lib.2.* Stromatum: Παίδων ἐπ᾽ ἀρότῳ τῶν γνησίων Δίδωμί σοί γε τὴν ἐμαυτοῦ θυγατέρα. *Ad ſeminandos liberos tibi meam trado filiam.* Et Plato *lib.4. de legibus: Uxorem,* inquit, *ducere debet quisq; cum annos habet triginta, cogitans, quod natura quadam humanum genus immortalitatem conſequitur; cujus rei quisq; natura ſummopere cupidus eſt. Nemo enim eſt, qui non deſideret perpetuum apud poſteros nomen habere. Genus itaq; hominum immortale hoc modo in ſempiternum perdurat, quod filiorum filios*

 relin-

relinquendo unum & idem ſemper per generationem immortalitatem adipiſcitur. His porrò adſtipulatur rurſum & Ariſtoteles *lib. 1. Polit. c. 2.* *Marem & fœminam*, inquit, *quorum alter alterius indiget ſocietate, copulari neceſſe eſt, procreandi causâ, idq; non conſilio, ſed naturâ: quemadmodum in cæteris animantibus & ſtirpibus uſu venit, quibus naturâ inſitus eſt appetitus ſui ſimile relinquendi.* Et Seneca in Hippolyto *v. 166: Providit ille*, ait, *maximus mundi parens, cum tam rapaces cerneret fati manus, ut damna ſemper ſobole repararet nova.* Porrò Muſonius lib. an Philoſophum impediant nuptiæ: *Sunt*, inquit, *nuptiæ ſecundum naturam, ſi quicquam aliud. Quam enim aliam ob cauſam opifex hominis primum quidem bipartitò diviſit genus noſtrum: deinde pudenda bina ei adjunxit, aliud mari aliud fœminæ: ulterius cupiditatem vehementem utriq; injecit converſationis & conjunctionis cum altero & ingens deſiderium mutuum utriq; alterius concitavit, ut mas fœminam appeteret, fœmina marem? Nonne igitur fit evidens, quod utrumq; ſexum converſari jungiq; voluerit & — gignere ſimul liberos, ut genus noſtrum perpetuum eſſet?* Sed & Hierocles lib. de Nuptiis: *Non gregales nos ſolum ſed & συνδυαστικὰς, id eſt, ut bina ageremus, fecit, & huic ſocietati unum commune opus, liberorum progenerationem dico, propoſuit.* Tabulis quoque matrimonialibus id olim exprimebatur, *liberorum procreandorum gratiâ* uxorem duci. *Nuptiæ*, inquit Auguſtinus lib. 2. de moribus Manichæorum, *ut ipſæ tabulæ Nuptiales clamant, liberorum procreandorum causâ marem fœminamq; conjungunt.* Denique & Calliſtratus in *l. liberorum §. ult. D.* de verborum ſignificat: *Natura*, ait, *eos quoq; docet, parentes pios, qui liberorum procreandorum animo & voto uxores ducunt.* Cum generatione porrò *LIBERORUM* conjuncta eſt *EDUCATIO* eorundem. Non enim ſufficit liberos procreaſſe,

creaſſe, niſi & opera detur, ut recte educentur. Ad quod uterque conjugum ſuam operam cogitur conferre. *Naturæ* enim *munus eſt*, inquit iterum Ariſtoteles *lib. 1. Politic. c. 2. alimentum eis, quæ procreavit, præbere, itaq; quodcunq; naſcitur, ex eo, unde naſcitur, alimentum ei relinquitur.* Et Xenophon in memorabilibus Socratis: *Neq; exiſtimes homines rei Venereæ causâ liberos procreare. Nam ejus libidinis explendæ facultatem tum viæ, tum ædes abundè ſuppeditant. Sed perſpicuum eſt diligenter à nobis ſpectari, ex quibus mulieribus boni nobis liberi gignantur: quas ubi nacti ſumus, domum ducimus, & ex iis liberos ſuſcipimus, ac vir quidem eam, à quâ ſibi liberos ſuſcepturus eſt, abit, naſciturisq; liberis comparat omnia, quæ ad victum cultumq; illorum utilia fore exiſtimat. Ubi autem mulier concepit, onus illud magno cum labore ac diſcrimine vitæ perferens, alimenta ex eo ipſo cibo, quo alitur ei ſuppeditat, magnoq; cum dolore ac labore parit, alit, curat, eum infantem, qui neq; de ipſa matre bene meritus eſt, neq; novit, à quo beneficium accipiat, neq; ea, quæ illi opus ſunt, demonſtrare poteſt.*

IV. ALTER FINIS MATRIMONII eſt, mutuum adjutorium in iis, quæ ad rem familiarem ſpectant. Non enim ſufficit ea comparaſſe ſed & conſervare oportet, quæ ſunt parta. Ad quorum illud virum, ad hoc autem fæminam ipſa rurſum natura reddidit habiliorem. Cur enim illum hâc facit robuſtiorem? Cauſam ejus reddit Ariſtoteles *lib. 1. Oecon. c. 3.* his verbis: *Ita ratione,* inquit, *diſpoſitus eſt à Numine divino tàm maris quàm fæminæ ſexus ſingillatim ad communionem Sic enim diviſa ſunt omnia, ut non ad eadem uſus ſit facultatis illorum, cum quædam in contraria vergant, quæ ipſa tamen contendunt eodem. Etenim natura unum ſexum facit robuſtiorem, imbecilliorem alterum, ut hic ad cuſtodiendas res propter timorem, hic propter fortitudinem ad propugnandum*

magis

magis eſſet idoneus, itemq; ut ille foris parta offerret, hic intus conſervaret allata. Præterea voluit hunc ad opera facienda, eum qui aſſiduitatem præbere valeat, ſed ad excubandum foris infirmum eſſe, illum ad quietem minus aptum, ſed qui bonâ valetudine eſſet ad exercitationes & motus. Hunc finem matrimonii priori jungit ac laudat Xenophon in Oeconomicis, ex quibus Cicero: *Maritale*, ait, *conjugium ſic comparatum eſt naturâ, ut non ſolum jucundiſſima, verum etiam utiliſſima vitæ ſocietas iniretur, & ne genus humanum temporis longinquitate occideret; propter hoc mas cum fœminâ eſt conjunctus: deinde ut ex eadem hic mortalitate adjutoria ſenectutis, nec minus propugnacula præparentur.* Sed & Demoſthenes contra Neæram: *Meretrices*, inquit, *gratiâ voluptatis habemus, concubinas ad quotidianam corporis curam: uxores verò, ut liberos legitimos gignamus, & rei domeſticæ fidam cuſtodem præficiamus*, τοῦ παιδοποιεῖσθαι γνησίως, καὶ τῶν ἔνδον φύλακα πιστὴν ἔχειν. Porrò & Ariſtoteles rurſum *lib. 8. Ethic. c. 12. Viro & mulieri ſecundum naturam intercedit amicitia Et aliis quidem animalibus eatenus communicatio eſt. At homines non ſobolis procreandæ causâ tantum ſimul habitant, ſed rerum etiam, quæ ad vitam ſpectant. Continuò enim officia diviſa ſunt, aliaq; ſunt viri & uxoris. Sibi ergò mutuò opitulantur, in commune* τιθέντες τὰ ἴδια. *Atque ob id & utilitas & jucunditas in hac amicitia ineſſe videtur.* Muſonius quoque l.c. *Evidens eſt, quod utrumq; ſexum converſari jungiq; voluerit, & communi operâ vitam inſtituere, ſeq; mutuo juvare & gignere, ſimul ac educare liberos, ut genus noſtrum perpetuum eſſet.* Sed & Hierocles conſentit: *Non liberorum enim ſolùm procreationem* ſed & *vitæ ſtabilis converſationem* ait *naturam propoſuiſſe conjugali vitæ unum communeq; opus.* Columella inſuper *lib. 12.* de re Ruſticâ ſatis prolixè hunc finem deſcribit, ita inquiens: *Xenophon Atheni-*

enſis

nienſis eo libro, qui Oeconomicus inſcribitur, prodidit, maritale conjugium ſic comparatum eſſe naturâ, ut non ſolum jucundiſſima, verum etiam utiliſſima vitæ ſocietas iniretur, quod jam pridem etiam Cicero ait, & ne genus humanum temporis longinquitate occideret, propter hoc marem cum fæminâ eſſe conjunctum. Deinde ut ex hac eâdem ſocietate mortalibus adjutoria ſenectutis, nec minus propugnacula præpararentur, tum etiam cum victus & cultus humanus non uti feris in propatulo ac ſylveſtribus locis, ſed domi ſub tecto accurandus erat, neceſſarium fuit alterutrum foris & ſub dio eſſe, atq; cuſtodiret qui labore & induſtriâ compararet, intus qui tectis reconderet, ſiquidem vel ruſticari, vel navigare, vel etiam alio genere negotiari neceſſe erat, ut aliquas facultates acquireremus. Cum verò paratæ res ſub tectum eſſent congeſtæ, alium eſſe oportuit, qui & illatas cuſtodiret, & cætera conficeret opera, quæ domi deberent adminiſtrari, nam & fruges, & cætera alimenta terreſtria indigebant tecto, & ovium cæterarumq; pecudum fœtus atq; fructus clauſo cuſtodienda erant, nec minus reliqua utenſilia, quibus aut alitur hominum genus, aut etiam excolitur. Quare cum & operam & diligentiam ea, quæ propoſuimus deſiderarent, nec exiguâ curâ foris acquirerentur, quæ domi cuſtodire oporteret, jure à naturâ comparata est opera mulieris ad domeſticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forenſem & extraneam: itaq; viro calores & frigora perpetienda, tum etiam itinera & labores pacis ac belli i.e. ruſticationis & militarium ſtipendiorum diſtribuit. Mulieri deinceps, quod omnibus his rebus fecerat inhabilem, domeſtica negotia tradidit. Et quoniam hunc ſexum cuſtodiæ & diligentiæ aſſignaverat, iccircò timidiorem reddidit, quàm virilem, nam metus plurimum confert ad diligentiam cuſtodiendi. Quod autem neceſſe erat foris & in aperto victum quærentibus nonnunquam injuriam propulſare, iccircò virum, quàm mulierem

fecit

fecit audaciorem. Denique Gordianus Imperator l. 4. C. de criminæ expilate hæreditatis *uxorem rei domus humanæ* atque divinæ ſociam appellat.

V. Approbant utrumq; hunc matrimonii finem ſacræ literæ, indeq; porrò eum agnoſcunt tàm Judæi, quàm Chriſtiani. Et de primo quidem hæc habentur verba Gen. I, 27, 28. *Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinē ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & fæminam creavit eos. Et benedixit illis Deus, dixitq;: Fructum edite & frugeſcite, & implete terram.* Ad quæ verba ita ſcribunt Hebræi: *In tribus conformatur homo angelis, in ſtaturâ erectâ, loquelâ ſanctâ & intelligentiâ. Animalibus verò ſimilis eſt in edendo, bibendo & multiplicando per generationem.* Sed & Philo ſine dubio ad illa reſpiciens lib. de Abraham Saram ita maritum alloquentem introducit: *Jam dudum unâ vivimus in charitate mutuâ, ſed quæ præcipua conjugii noſtri cauſa fuit, propter quam natura virum copulavit mulieri, deſunt nobis liberi.* Sed & Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum hinc ita definit matrimonium: γάμος ἐστι σύνοδος ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς, ἡ πρώτη κατὰ νόμον, ἐπὶ γνησίων τέκνων σπορᾷ, *Matrimonium eſt prima legitima viri & mulieris conjunctio ad liberorum procreationem.* Et Ambroſius in I. Cor. VII. *Uxor*, inquit, *ducitur cauſâ filiorum creandorum.* Sed & Auguſtinus lib. 2. ad Pollentium de adulterin. conjug. c. 12. Tom. 6 *Propagatio*, ait, *filiorum ipſa eſt prima & naturalis cauſa nuptiarum.* Et Juſtinianus Imperator Novellâ 22. de nuptiis: *Matrimonium ſic eſt honeſtum, ut humano generi videatur immortalitatem artificioſè introducere & ex filiorum procreatione renovata genera manent.* Alterum autem finem exprimit Moſes Gen. II, 18. his verbis: *Et dixit Dominus Deus, Non eſt commodum, ut homo ſolus ſit, faciam illi adjutorium, quod coram eo ſit*, quod ei adjumento ſit non ad procrean-

dam

dam duntaxat ſobolem, ſed & ad omnes vitæ neceſſitates &commoditates, ad rem familiarem, totamque domum conſtituendam. Unde Onkelos Chaldæus interpres reddidit : *Faciamus ei fulcrum ſive ſuſtentaculum, è regione illi.* R. David Kimchi autem in libro Radicum ſuper hunc locum ſic ſcribit : *Ut ſit in conſpectu ejus & coram eo jugiter ad miniſtrandum ei.* Deſcribit adjutorium hcc prolixè Salomon Prov. XXXI,10. ſeqq. atq; inter cætera ait: *Ei tutò credit cor mariti ejus, res quoq; non decreſcunt: rependet ei bonum & non malum cunctis diebus vitæ ſuæ. Quærit lanam & linum & operatur cum voluptate manibus ſuis. Perinde eſt atq; navis mercatoris ex longinquo advehens victum ſuum.* Pertinet porrò huc & locus Syracidis c. XXXVI, 26. *Qui nactus*, inquit, *eſt uxorem bonam, rem facere parat, adjutricem babet conſortem & baſin quietis. Ubi nulla ſepes eſt, poſſeſſio diripitur: & cui non eſt uxor, ingemiſcet vagibundus.* Sed & Paulus Tit. II, 5. requirit ab uxoribus præcipuè adoleſcentulis, ut ſint οἰκουργοὶ, id eſt, *domi ſe contineant* & *negotia domeſtica curent.* Sic enim apud Libanium Sophiſtam in declamatione Oreſtis Agamemnon Clytemneſtræ uxori valedicens οἰκουργὶ ἀγαθὴν exponit, cum ait : οἰκούρει καὶ φύλαξ ἔσο τῆς οἰκίας πιστὴ, *Larem ſerva, & familiæ cuſtos Fidelis eſto.* Et Plutarchus : Τὴν Ἠλίων ὁ Φειδίας Ἀφροδίτην ἐποίησε χελώνην πατοῦσαν, οἰκουρίας σύμβολον τῇ γυναξὶ, *Veteres*, ait, *pinxiſſe Venerem teſtudini inſiſtentem, quod animal nunquam domo diſcedat, ſymbolum probæ matrisfamilias. Viſum eſt Deo,* ait R. Abarbanel, *ut crearet mulierem è coſtâ hominis, neque eam ſeorſum ac ſeparatim, condere voluit, quemadmodum cæterorum animantium fæminas & ipſum Adamum propterea quod cæterorum animalium fæminæ maribus niſi procreandi ergò duntaxat, non conjungantur, ac nihil præterea illis cum maribus ſit, ut quæ ſeorſum vitam agant. At vero homini*

fæmina eſt opus cum ad alia multa, tum ad parandos cibos & alia domeſtica officia, ideoq; homini ſubjaceat obediatq; neceſſe eſt. Citat verba hæc Simeon de Muis in variis ſacris è Rabinis contextis. *Valdè propriè*, ait & Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum, *dicit Scriptura, mulierem datam eſſe à Deo adjutricem. Clarum eſt ergò, quod unicuiq; ex iis, quæ à marito eveniunt, moleſtiis ratione cum perſvaſione mederi apud ſe conſtituat.* Ambroſius lib. de paradiſo c. 10: *Adjutorium ad generationem conſtitutionis humanæ intelligimus, - quanquam etiam inferior dicatur adjutor, ut & in uſu reperimus humano, quia dignitate potiores plerumq; adjutorem meriti inferioris adſciſcunt.* Et c. 11. *In viro & muliere domus videtur quædam plena eſſe perfectio. — Sicut enim vir publicis officiis, ita mulier domeſticis miniſteriis habilior æſtimatur.* Et Chryſoſtomus homil. 14, in Geneſin expendens verba illa. Non eſt commodum, hominem eſſe ſolum: *Nolo, inquit,* (Deus) *illum ſolum eſſe, ſed habere ex contubernio conſolationem aliquam, neq; hoc ſolum, ſed producendus erit adjutor ipſi congruus, mulierem inſinuans: & proptereà cum dixiſſet: Faciamus illi adjutorem, addidit ſecundum illum, ut cum videris ſtatim adduci beſtias & omnia volatilia cœli, ne putes de illis eſſe dictum. Nam licet adjuvent illum in laboribus ſuis multa irrationalia animantia, nullum tamen par eſt rationali mulieri.* Et homil. ſequente 15: *Condita creatura productis brutis & cibo & miniſterio utilibus, quia formatus homo indigebat aliquo confabulatore & eo, qui particeps ejus ſubſtantiæ multum ſolatii afferre poſſet: ideo ex latere illius hoc rationale animal format, & ſecundum induſtriam ſuam & ſapientiam perfectum & abſolutum hoc facit per omnia ſimile ſive rationale, quod ei poſſet in neceſſitatibus & commoditatibus hujus vitæ ſubſidio eſſe.* Juſtinianus l. lege duodecim tabularum C. de legitimis hæredib.

utrum-

utrumque finem conjungit, cum ait: *Natura utrumq; corpus* (maris & fæminæ) *edidit, ut maneat ſuis vicibus immortale & alterum alterius auxilio egeat, & uno ſemoto & alterum corrumpatur.* Vid. & Auguſtinus lib. de bono conjugali c. 3.

VI. Obtinuiſſet uterque hic finis etiam in ſtatu, ſi homo in eo permanſiſſet, integritatis. Poſteaquam autem is lapſus fuit eoque omnia corrupit, etiam generandi deſiderium in libidinem degeneravit inordinatam; tumq; adhuc tertius acceſſit conjugii finis, de quo Apoſtolus I. Cor. VII, 2: *Propter fornicationem ſive* ad fornicationem vitandam *habeat unusquisq; uxorem ſuam & unaquæq; maritum ſuum. Quisquis affectus illos frenare non poteſt, cohibeat intra præſcriptum legitimi tori*, ait & Lactantius. Et Chryſoſtomus homil. 59, in Geneſin: *Propter hoc*, inquit, *& communis Dominus noſter, ſciens humanæ naturæ infirmitatem nuptias dedit & ſancivit, ut ab illicito concubitu abſtineretur. Ne igitur negligamus juvenes, ſed ſcientes fornicationis incendium, priusquam luxuriæ implicentur, ſtudeamus eos juxta legem Dei nuptiis copulare, ut & continentiam ſuam cuſtodiant & nullum damnum laſciviæ ſuæ habeant, remedio illinc ſumpto, ut poſſint carnis indomitos motus reprimere & pænam effugere.* Pariter & Auguſtinus lib. 1. de Nupt. & concupiſc. c. 16. *Illud potius excellentis continentiæ bonum qui poteſt capere, capiat. Qui verò id capere non poteſt, etſi acceperit uxorem, non peccat, & fæmina ſi ſe non continet, nubat. Bonum enim eſt homini mulierem non tangere. Verum quia non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt, reſtat, ut propter fornicatianem unusquisq; uxorem ſuam habeat & unaquæq; virum ſuum: ac ſic infirmitas incontinentiæ ne cadat in ruinam flagitiorum, excipiatur honeſtate nuptiarum.* Et lib. 6. de Geneſi ad literam c. 7. *Utriusq; ſexus infirmitas*

propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honeſtate nuptiarum, ut quod ſanis poſſit eſſe officium, ſit ægris remedium. Nec aliter Gregorius Magnus part. 3. paſtoralis curæ c. 28. in fine: *Admonendi ſunt itaq; ut ſi tentationum procellas cum difficultate ſalutis tolerant, conjugii pactum petant: Scriptum namq; eſt: Melius eſt nubere, quam uri.* Denique Iſidorus in Etymologico hanc cum duabus prioribus cauſis conjungit, quando ait: *Tribus de cauſis ducitur uxor. Primò cauſâ prolis, de quâ legitur in Geneſi: Benedixit eos Deus dicens: Creſcite & multiplicamini. Secundò causâ adjutorii, ut in Geneſi: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum; faciamus ei adjutorium Tertiò cauſâ incontinentiæ, unde Apoſtolus: Qui ſe non continet, nubat,* I. Cor. VII.

VII. Hi cum ſint fines matrimonii, extra controverſiam poſitum eſt, ILLUD CONNUBIUM JURI NATURÆ MAXIME ESSE CONFORME, quod ita comparatum eſt, ut fines iſti quam optimè & accommodatiſſimè ad naturam hominis, ſive, quod idem eſt, quam congruentiſſimè rationi rectæ obtineantur. Ita verò ſe habere NUPTIAS UNIUS CUM UNA vix poſſe negari arbitramur. Nam *quoad* PRIMUM FINEM, procreationem ſcilicet ſobolis, dubium non eſt, quin unusquisque, qui ſe naturæ hominis accommodare vult, ita ei debeat eſſe intentus, ut non impediatur in beatitudine activâ, ſed juvetur potius ea. Hæc enim finis ultimus eſt hominis quâ homo eſt, quò eum cuncta referre atque dirigere oportet. Sic tamen ad eum contendere debet, ut non oblivíſcatur alterius quoque felicitatis, quæ in contemplatione & veneratione Dei ſita eſt. Hæc enim perfectio ejus partis in homine eſt, quæ nobiliſſima eſt & θεῖόν τι, *divinum quid*, ſi ad hominem reſpiciamus lib. 10. Ethic. c. 7. id eſt, mentis. Finis inſuper ſapientia eſt, qui ſcopus eſt, ad quem cum ſuo fine,

fine, beatitudine practicâ, collineat prudentia, quæ veluti atrienſis illius eſt, otium ei parans ac procurans, ut munere ſuo absque impedimento fungi queat, affectus ſcilicet cohibendo & temperando aliaque utilia monendo & conſtituendo. Quâ de re Ariſtoteles lib. 6. Ethic. c. ult. *Non præſidet*, inquit, *prudentia ſapientiæ neq; melioris quam ipſa partis eſt, quemadmodum neq; ſanitati præeſt medicina. Neq; enim ipſâ utitur, ſed, ut fiat, providet, quo circa illius cauſâ præcipit, non autem illi.* Et lib. 7. Eudem. c. ult. *Aliter medicina, aliter ſanitas imperat, & huic illa deſtinatur. Sic & in contemplativis principatus habet Neque enim jubendo Deus imperat, ſed cujus gratiâ prudentia eſt. Quod verò alicujus gratia jubet, in aliis determinatum eſt, quoniam ille nullo eget. Quæ igitur electio poſſeſſioq; natura bonorum vel corporis, vel amicorum, vel reliquorum, conſiderare maximè Deum facit, præſtantiſſima eſt, atq; hic eſt terminus pulcherrimus. Quæ verò vel ob defectum, vel ob exceſſum conſiderare colereq; Deum permittit minimè, eſt peſſima.* Quibus gemina habent Archytas Tarentinus & Peryctiones Pythagorei apud Stobæum ſerm. I. qui eſt de virtute. *Sic ergo viro procreationi liberorum opera danda, ut neque in* ACTIONE ſecundum virtutem animæ rationalis, in qua beatitudo practica conſiſtit lib. 1. Ethic. c. 8; *neq; in CONTEMPLATIONE* & veneratione Dei impediatur. *ATQVE HINC PORRO nec in EDUCATIONE liberorum, nec in BONI PUBLICI PROMOTIONE*, Eſt enim homo naturâ animal πολιτικὸν, ad ſocietatem, & quidem civilem, natum, extra quam nec obtinere poteſt, quæ ad beatè vivendum requiruntur, nec beatus prædicari, ſi ei planè non inſerviat. Nam & *partes* ſemper ad *totum*, veluti *materia* ad *formam* referuntur 1. Politic. 2. & quanquam propriâ aliquâ formâ ſint preditæ, illa tamen pen-

det à formâ totius illiusque causâ eſt procreata. Non enim aliâ de causâ oculi, manus, pedes ſuam peculiarem formam habent quàm ut univerſum animal bene ſe habeat. Sic ergò in ſocietate vivere oportet virum beatum, ut prodeſſe toti illi queat. Quò ſpectant illa Senecæ ex Epiſt. 48: *Non poteſt quiſquam beatè degere, qui ſe tantum intuetur, qui omnia ad utilitates ſuas convertit: alteri vivas oportet, ſi vis tibi vivere. Hæc ſocietas diligenter & ſanctè obſervanda eſt, quæ nos omnes omnibus miſcet & judicat aliquid eſſe commune jus generis humani.* Intellexit hoc & Plato ad Archytam ſcribens, Non Nobis ſolis nos natos meminerimus, ſed patriæ, ortus noſtri partem ſibi patriam vendicare, partem parentes, partem amicos, ut perexigua pars nobis ſit relicta. Sed & Ariſtoteles *lib.1.Polit.2.* idem inculcat, quin eousque progreditur, ut hominem, qui ſuo ingenio & naturâ nullâque fortunæ vi ἄπολις eſt, vel *improbum* planè eſſe dicat *beſtiæq;* ſimiliorem, quàm homini: vel *homine meliorem* & *quaſi Deum* quendam terreſtrem: quales ſunt, qui ſolitudinem ideò amant, ne à Dei contemplatione, quâ unicè delectantur, retrahantur. Conſentit porrò & Chryſippus apud Ciceronem lib.3. de finibus & lib. 2. de naturâ Deorum. Ait enim, *quæ in terris gignuntur omnia ad uſum hominum creari, homines autem hominum causâ eſſe generatos, ut ipſi inter ſe alius alii prodeſſe poſſint.* Cicero ipſe lib.3. de finibus n. 66. *Quemadmodum membris,* inquit, *utimur prius, quam didicimus, cujus ea utilitatis causâ habeamus: ſic inter nos unà ad civilem communitatem conjuncti & conſociati ſumus: quod niſi ita ſe haberet, nec juſtitiæ ullus eſſet, nec bonitati locus.* Sed nec Plutarchi locus ex vitâ Demoſthenis eſt omittendus. Prodierat hîc in publicum ob bonum aliquod nuntium, ad publicam utilitatem ſpectans, lætitiâ perfuſus & ſplendidè amictus & coronatus

ronatus ſeptimo die, ex quo filia ejus fuerat defuncta. Hoc vitio illi vertebatur ab Æſchine, odium ipſi objiciente liberorum: ſed defendit eum Plutarchus loco citato num. 31. ita ſcribens: *Quod domeſticas fortunas & lacrymas lamentationesq; fœminis reliquerit Demoſthenes ac quæ cenſuit in publicum utilia, hoc egerit, id comprobo, exiſtimoq; Politici animi & fortis eſſe ſemper reſpicere Rempubl. eiq; eſſe intentum, adeo ut res caſusq; domeſticos illi poſtponat, ſemperq; dignitatem ſuam tueri multo magis, quam in ſcenis hiſtriones faciunt Regis aut tyranni perſonam agentes, quos ipſos videmus non ut ipſis libitum eſt vel ridere, vel plorare, ſed ut ratio propoſiti ad agendum argumenti requirit.* Unde & ad beatitudinem non ſatis eſt liberos habere, niſi ſint & iis moribus præditi, ut Reipublicæ queant eſſe emolumento. Volunt enim viri boni etiam poſt fata ſua non ſolùm ſupereſſe, ſed & prodeſſe in poſteris ſuis Reipublicæ, atque hinc ſuſcipi ex ſe liberos non ſolum ipſis, ſed & patriæ, *qui ſic ipſis ſint voluptati, ut etiam aliquando Reipublicæ uſui eſſe poſſint,* ut Cicero rurſum loquitur Orat.3.in Verrem. Aliàs ſatius eſt nullos habere liberos, quàm malos, & qui Reipublicæ nullo ſint uſui, ſed potius damno. *Opprobrium quidem eſt,* ait Euſtratius in 1. Ethic. c. 8. *liberis carere: ſi quis tamen liberos habeat, qui mali ſunt vitiisque excellunt, majus adhuc malum eſt. Solent enim pleriq; Patri filiorum improbitatem adſcribere.* Unde & Salomon Proverb. XVII,21: *Qui ſtolidum gignit, ad mœrorem ſibi gignit, neq; lætari poteſt pater ſtulti.* Et v.25: *Indignationi eſt patri ſtolidus filius atq; amaritudini genetrici ſuæ.* In id quoque intentus eſſe debet is, qui verè beatus vult æſtimari, ut liberos poſt ſe relinquat Deo devotos. Quod & Plato lib. 6. de legibus innuit, quum ſcribit: *Porrò quod nuptias attinet, his verbis conſolari debemus: quod naturæ perpetuitatem promovere oporteat, & filios filio-*

rum relinquendo ſemper Deo miniſtros pro ſeipſo tradere. Quæ verba & Stobæus citat ſerm.67. qui eſt de laude nuptiarum. Ad hoc autem opus eſt educatione bonâ. *Maximam* enim *vitiorum partem affert prava à teneris educatio,* teſte Polybio lib. 1. Et ut idem lib. 6, ait: *Filii inde à pueritiâ in poteſtatis paternæ dilectione & prærogativis educati ad varia vitia degenerant.* Jam rationi conſentaneum eſt eum, QUI UNI UXORI CONJUNCTUS EST, ad metam hanc facilius pervenire, quam eum, qui plurimarum contubernio gaudet. Quanquam enim copioſior ſoboles exſpectanda ſit ex pluribus uxoribus in familiis privatis, exſpectari tamen inde tam bona vix poteſt toti Reipublicæ, cum maximam partem prolis vigor pendeat à virtute viri. Hæc autem quemadmodum unita fortior eſt, ita in plures diffuſa, cum finita ſit & ad certum terminum à naturâ contracta, minuitur tantô citius & evaneſcit, ut ante tempus deſinat generare. Fæminis quoque obſtaculo eſt quo minus Reipublicæ tot gignant cives, quot geniture eſſent, ſi ſingulæ ſingulis maritis eſſent copulatæ. Dubium enim non eſt, quin ſæpius ſingulis conjunctæ parere poſſint, quàm ſi denæ vel plures ab uno pendere cogantur marito. Educationi adhæc liberorum ſic rectius conſuli poteſt. Quotusquisque enim eſt, qui tot liberis, quot ex denis aut pluribus matrimoniis tolli poſſunt, ritè educandis ſufficiat, ſive ſpectemus curam ſingulis impendendam, ſive opes, tanquam nervos rerum agendarum relinquendas, præſertim cum difficile ſit admodum, reipublicæ ſimul commodis & educationi multorum liberorum vacare? Magis autem ea adhuc officit contemplationi, quippe quæ vitam amat quietam atque à conſortio hominum magis remotam, quam & idcirco elegerunt, qui præ aliis contemplationi dediti fuerunt, non inter Judæos ſolum & Chriſtia-

Chriſtianos, ſed & ipſos gentiles. Quo ſpectat locus ille inſignis Hippocratis ex Epiſt. ad Philopœmenen: *Non inſani ſolum antris & ſolitudinibus delectantur, ſed etiam illi, qui res humanas tranquillitatis deſiderio contemnunt. Ubi enim mens externis curis fracta corpus quietem agere voluerit, tunc ſtatim in tranquillitatem convertitur. Inde quaſi anteluculò reſurgens in ſemet converſa veritatis regionem quaſi in circulo circumſpicit, in qua non mulier, non liberi, non mater, non fratres, non cognati, non ſervi, nihil deniq; eorum, quæ tumultum in animo concitant, ſed illa omnia præ metu excluſa ſunt, nec proprius accedere audeat præ majeſtate illorum, quæ ibi habitant. Incolunt autem illam regionem artes & virtutes, & Dii & Dæmones, & conſilia, & ſententiæ, & magnus polus in illa regione varii motus ſtellas circumdat.*

IIX. *ALTER quoque FINIS*, quem in Adjutorio mutuo collocabamus, melius in ejusmodi matrimonio obtineri poteſt, quod eſt inter duos ſolos. Utut enim fas ſit fœminas viris ſuis eſſe ſubjectas, quemadmodum & ſenarius ille Alexidis ex fabulâ eâ, cui titulus eſt, γυναικοκρατία, citatus ab Athenæo lib. 3. habet: Γυναικὶ δ᾽ ἄρχειν οὐ δίδωσιν ἡ φύσις, *Natura non ſinit præeſſe fæminam*; Cui ſubſcribit & Auguſtinus lib. 1. de nuptiis & concupiſc. ad Valerium c. 9. ſcribens: *Non dubitari poteſt naturali jure viros potiùs fœminis, quàm fœminas viris principari.* Ut taceam etiam bruta huic rei teſtimonio eſſe, quippe quæ & ipſa ductu naturæ ita vivunt, *ut mares fæminis imperent*, obſervante etiam Plinio lib. 4. c. 3. de Hyænis dicente, *quod mares ſingulis fæminarum gregibus imperitent*: habent tamen & fœminæ in domo ſuum principatum. Quam ob cauſam mulier quoque, utut ex capite producta non ſit, formata nihilominus nec ex pedibus eſt, ſed ex latere, ut non dominaretur quidem viro, non tamen ſubjiceretur quoque ei

inſtar ancillæ, ſed ſocia ei eſſet & collateralis, *ut & eandem in illis naturam eſſe Deus demonſtraret, & naturalem quandam benevolentiam mutuam*, ψυχικὴν τινα φιλοστοργίαν *ipſis inſereret* prout Theodoretus ait quæſt. 30. in Geneſin. Et R. Abarbanel apud Simeonem de Muis loco ante adducto: *Neq; verò Deus mulierem creavit ex pedibus, quæ abjectior in homine pars eſt, ne illam haberet pro ancillâ, neq; ex capite, ne illa ſibi videretur domina, ſed ex coſta, quæ medio in corpore jaceret, ut doceretur, utriq; parem in domo locum ac dignitatem competere*. Atque hinc & in Jure Civili l. pronunciatio D. de verborum ſignificatione, mulier familiæ ſuæ & *caput* & *finis* dicitur. Sed & factum hinc videtur, ut Græci uxores δεσποίνας *dominas* vocarent. Sic enim Homerus lib. 3. Odyſſeæ de uxore Neſtoris loquens:

Τῷ δ' ἄλοχος δέσποινα λέχος πόρσυνε καὶ εὐνήν

Huic uxor Domina lectum paravit & cubile.

Et lib. 7 de uxore Alcinoi:

Ἀλκίνοος δ' ἄρα λέκτο μυχῷ δόμου ὑψηλοῖο,
Πὰρ δὲ γυνὴ δέσποινα λέχος πόρσυνε καὶ εὐνήν

Alcinous autem dormivit in conclavi domus altæ.
Juxta autem uxor Domina lectum paravit & cubile.

Menander quoque in Plotio apud Gellium l. 2. c. 23:

Ἤγ' εὐγενέστον εἶχέ με γυνὴ δέσποινα

Tum me cunctis notum, ut faceret uxor hera.

Epictetus inſuper in Enchiridio c. 62: Αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαιδέκα ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κύριαι καλοῦνται, *Mulieres ſtatim ab anno 14 à viris Dominæ vocantur.* Sed ex Latinis quoque Plinius l. 33. c. 3. fæminas indiſcriminatim dominas appellat, cum ait: *Et inſerta margaritarum pondera è collo Dominarum auro pendentia.* Et Catullus, in Epithalamio Juliæ & Manlii:

Ac domum Dominam voca
Conjugis cupidam novi.

Ovidius porrò l. 3. Triſtium Eleg. 3.

Nuntiet huc aliquis Dominam veniſſe, reſurgam.

Et rurſum in Epiſt. Laodamiæ ad Proteſilaum:

Ille ferens Dominæ mandata recentia ſecum
Pugnabit cautè, reſpicietq; domum.

Papinius quoque Statius lib. 1. Sylvarum in Epithalamio Stellæ & Violantillæ:

Tu modo fronte roſas violis, modo lilia miſta
Excipis, & dominæ niveis à vultibus obſtas.

Denique & Valerius Martialis lib. 11. in Paulam Epigr. 8:

Hærebit Dominæ vir comes ipſe ſuæ.

Jam autem omnis PRINCIPATUS ſuâ naturâ diligit ſingularitatem, quemadmodum & Auguſtinus docet lib. de bono conjugali c. 17. quum ait: *Occultâ lege naturæ amant ſingularitatem, quæ principantur.* AMICITIA quoque PERFECTA non patitur rivales, ſed ſocii impatiens eſt, ubi ad ſummum pervenit. Cujus rationem Ariſtoteles non unam reddit lib. 8. Ethic. c. 6. (7) Excellentiæ enim non in multos, ſed in unum fere, ut ſummum, cadere ſolent. Quo ſine dubio & Cicero reſpiciens in Bruto, nec non lib. 2. Offic. multos quidem, ait, *mediocres* fuiſſe *Oratores & JCtos, eximios non item, ſed ſingulos ſingulas fermè ætates ferre.* Neq; multi eidem facilè placere poſſunt, cum varia ſint hominum genera & pauci boni. *Neceſſaria adhæc veræ amicitiæ conſvetudo eſt, & longi temporis periclitatio.* Multos autem periclitari valde eſt laborioſum & prolixiſſimi temporis opus. Singulis enim momentis aliquem ex multis amicis eludere poteſt fortuna. Amantem autem toties tangit infortunium, quoties tangit amicum, quod amicorum res proſperæ pariter & adverſæ ſint communes. Ulterius

ea amoris indoles eſt, ut reciprocum requirat affectum. Tam liber enim pretioſusque eſt, ut nec velit, nec valeat alio ullo emi vendive pretio quàm ſeipſo. Unde Heſiodus lib. 1. Operum & dierum Perſen fratrem monet, *ut amantem ſe redamet*, τὸν φιλέοντα φιλεῖν. Et Moſchus Siculus in Bucolicis apud Stobæum ſerm. 61: Στέργετε τοὺς φιλέοντας ἵν' ἢν φιλέητε, φιλῆσθε, *Diligite amantes, ut ſi ametis, redamemini.* Bion quoque in Bucolicis apud eundem eodem loco: ἀλλ' ἐρῶ. καλὸν δὲ τ' ἐρασαμένῳ συνερᾶσθαι, *Sed amo: Decet enim amantem ſimul ab aliis amari.* His adſtipulatur & Plinius in Panegyrico Trajani: *Habes*, ait, *amicos, quia amicus ipſe es. Neque ut alia ſubjectis, ita amori imperatur, neq; eſt ullus affectus tam erectus & liber: nulloq; ſubjici jugo patiens & dominationis impatiens, nec qui vices magis exigat.* Et Dio Pruſienſis in libro de regno inter ea, quæ regibus præſcripſit documenta, & hoc ponit, *ut homines ament, ſi cupiant redamari. Veriſimile namq;*, ait, *non eſt, nec natura patitur, diligentem non diligi.* Cui geminum eſt, quod ſcribit Libanius Sophiſta ad Climatium: *Fas eſt amantem redamari, quod proverbio veteri eſt celebratum.* Et Martialis lib. 6. Epigramm. ad Marcum:

Ut præſtem, ait, *Pyladen, aliquis mihi præſtat Oreſtem*
Hoc non fit verbis, Marce, ut ameris, ama.

Denique & Gregorius Nazianzenus in heroicis verſibus, quos ſcripſit ad filium ita habet:

φύσις φιλέειν τοὺς οὐ φιλέοντας ἔεργε
Natura amare non amantes prohibuit.

Quemadmodum autem fas eſt, ut amet, qui amari cupit: ita & maximè naturæ conſentaneum eſt, ut is, qui ſolus à perſonâ aliquâ certâ ratione amari cupit, eandem ſolam viciſſim amet. *Ab alio enim*, ut Mimus quoque ille ait, *exſpectandum eſt, quod feceris alteri.* Et Severus Imperator

narratur frequenter in ore habuiſſe nobilem hanc ſententiam: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Ex quo & fit, ut Zelotypiâ non minus uxores erga viros, quàm hi erga iſtas afficiantur. Ad quod & Homerus reſpexiſſe videtur, quando in univerſum genus hominum Zelotypum facit lib. 7. Odyſſeæ dicens:

Δύσζηλοι γὰρ τ' εἰμὲν ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων

Valde Zelotypi enim ſumus in terrâ genus hominum.

In ſpecie autem de fæmina Pſyla apud Euſebium l. 8. præparat. Evangel. c. 4: *Zelotypia*, inquit, *maximè mordetur.* Et Plutarchus lib. de Tranquillitate animi, inter *mulierum proprias & peculiares* animi perturbationes etiam *Zelotypiam* reponit. Eſtque in eandem ſententiam & Græcus ille verſiculus:

Ζῆλος γυναικὸς πάντα πυρπολεῖ δόμον

Incendit omnem fæminæ zelus domum.

Maximè autem omnium ægritudinem hanc in prægnantibus debacchari ſcribit Galenus, aut quisquis Autor eſt definitionum Medicarum, quæ ſub Galeni nomine circumferuntur. *Zelotypia* autem, definiente Cicerone lib. 4. Tuſcul. quæſt. *nihil aliud quàm ægritudo eſt ex eo, quod alter quoq; potiatur illo, quod ipſe concupiveris.* Vel ut Chryſippus apud Laërtium in Zenone Cittieo deſcribit, *dolor ex eo, quod adſit alteri, quod ipſe quisq; habeat.* Unde & inter ſanctas fœminas interdum rixas & contentiones natas ex Polygamiâ legimus, veluti inter Leam & Rachelem Gen. XXX, & inter Annam & Phenennam I. Sam. I. Sed & res domeſticæ non tam benè curantur, ſi plures iis ſimul præficiantur. Communia enim non tam afficiunt animum ac propria, quæ ipſe naturalis inſtinctus commendat. Ex quo & Annibal apud Livium lib. 10: *Tanquam*, inquit, *ex publicis malis ſentiemus, quantum propriè ad nos pertinet.* Nec raro ideò negligun-

gliguntur communia, quod eorum cura ſemper rejiciatur in alios, ſicut in magnis plerumque domibus fieri advertimus. Quod enim plurimis mandatur ſervis aut ancillis, utplurimum infectum relinquitur, quòd alter ab altero id curatum iri ſperet. Quod & Cyrus apud Xenophontem agnoſcit dum *ſtolida* vocat mandata, *quæ à pluribus ſimul dantur, quod, dum alter reſpicit alterum, nihil fiat operis.* Ut taceam non deeſſe, qui etiam ideò *ſuam* corrumpi patiantur *partem, quod invideant alienæ*, juxta l.2. C. quando & quibus quarta pars ex bonis decurionum debeatur. Denique & educari rectius poſſunt liberi unius patrisfamilias, ſi omnes utrumque parentem unum agnoſcant. Unde & quibusdam animalibus, à quibus major cura exigitur ad educationem prolis, natura iſtiusmodi inſtinctum conceſſit, ut unus uni aſſocietur, veluti in perdicibus & turturibus, de quibus Ælianus lib. 1. Hiſt. anim. c. 13. elephantis item, teſte Plinio lib. 8. c. 5. & Delphinis autore eodem lib. 9. c. 8. aliisque eſt videre.

IX. Ad EXTREMUM & *remedium contra concupiſcentiam* rationi magis conſentaneum præſtant nuptiæ cum unâ. Cavendum enim viro cordato, ne nimis crebro conjugali operi vacet. Enervantur ſiquidem crebriori uſu Veneris vires corporis: quod mirum non eſt, cum *non ſolùm ſeminaria humiditas eo ex corpore auferatur, ſed & Spiritus vitalis, qui una cum illa ex arteriis evacuatur*, teſte Galeno lib. 1. de ſemine c. 16. Turbantur quoque eo & convelluntur Spiritus, adeò ut Hippocrates hinc coitum *μικρὰν ἐπιληψίαν, parvum morbum comitialem* vocare non dubitarit, quod & Macrobius annotavit lib. 2. Saturnal c. 8. Fit inſuper hinc, ut *plerique à coitu ſuccumbant animo ac triſtiores reddantur*, obſervante etiam Ariſtotele ſect. 30. problem. probl. 1. & *reſolvantur ac langveant*, teſte eodem ſect. 4. probl. 22. indeque ad contemplationes pariter & res agen-

das

das ineptiores exiſtant. Diſponitur inſuper crebriori cohabitatione corpus ad illecebras voluptatum, quæ viro honeſto omnibus modis ſunt fugiendæ. Obtundunt enim animum, excœcant & opprimunt, neque exſerere ſeſe ſinunt. Hujus autem robur, quantum in ipſo eſt, ſemper ut ſervet, operam talis dare debet, quo ſemper conſilio & ope ſua tam ſuæ, quàm reipublicæ præſtò eſſe poſſit, cujus commodis nunquam non invigilare debet, neque ulli parcere labori. *Non* enim *eſt viri timere ſudorem, nec eſt vir fortis, nec ſtrenuus, qui laborem fugit*, ut Seneca in Epiſt. ait. Et Salluſtius de bello Jugurthin. ſcribit: *Ex parente meo & aliis ſanctis viris ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem convenire.* Labore autem jam tum reſtingvuntur incentiva libidinis. Quodſi autem aliquid ejus ſuperato labore in viro etiam cordato reliquum eſt, poterit ei reprimendæ etiam una uxor ſatis eſſe. Ubi autem una ſufficit, quid opus eſt pluribus? E contrariò unus vir ſatisfacere facilè non poteſt pluribus fæminis, imprimis ſi debitum ſimul exigant, ad compeſcendam libidinem, quibus tamen non minus conſulendum erat quàm viris, præcipuè cum ſexus muliebris *vas* ſit *infirmius*, 1. Pet. III, 7.

X. Atque hinc factum, ut etiam non paucis gentilium moratiorum illud præcipuè placuerit connubium, quod inter duas eſt perſonas. Teſtatur enim Athenæus, quod jam Cecrops, primus ATHENIENSIUM Imperator, μίαν ἑνὶ ἔζευξεν, *unam fæminam uni marito attribuerit*, lib. 12. Et Euripides in Androm: ὐδέ ποτ' ἂν δίδυμα λέκτρ' ἐπαινέσω βροτῶν, ὐδ' ἀμφιμάτορας κόρους, ἔριν μὲν οἴκων, δυσμενεῖς τε λύπας. Τὴν μίαν μοι στεργέτω πόσις γάμοις ἀκοινώνητον εὐνὰν ἀνδρός, *Nunquam geminos lectos laudabo mortalium, neque liberos, qui habent diverſas matres, litem ædium & triſtes dolores. Maritus in nuptiis mihi ſit contentus uno lecto viri non communicato.* Et iterum: ὐδὲ

γὰρ καλὸν δυοῖν γυναικοῖν ἄνδρ' ἓν ἡνίας ἔχειν. Ἀλλ' εἰς μίαν βλέποντες εὐναίαν κύπριν, στέργουσιν, ὅστις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλει, *Non enim decet duabus mulieribus unum virum præeſſe, ſed ad unam reſpicientes legitimam venerem. Contenti ſunt, quicunque non malè habitare volunt.* Sed & Clytæmneſtra apud eundem in Electrâ: Μῶροι μὲν οὖν γυναῖκες, οὐκ ἄλλως λέγω. Ὅταν δ' ὑπόντος τοῦδ' ἁμαρτάνῃ πόσις, τἄνδον παρώσας λέκτρα, μιμεῖσθαι θέλει γυνὴ τὸν ἄνδρα χ' ἅτερον κτᾶσθαι φίλον, *Stultæ quidem ſumus mulieres, non aliter dico. Cum autem hoc ſtultitiæ vitium mulieri ſubeſt, & maritus peccat, domeſticum repellens lectum, & imitari vult Mulier virum, & aliter ſibi præbere amicum.* Pariter & Iſocrates in Nicocle: *Non potui non vehementer accuſare illos, qui ductis uxoribus & initio totius vitæ ſocietate pactis & conventis non ſtarent: ſed dum ſuis voluptatibus indulgerent eas offenderant, à quibus ipſi nullâ re offendi ſe vellent: cum in aliis contractibus æquitatem colerent, ſolas conventiones cum uxoribus factas violarent: quæ eò ſanctius cuſtodienda erant, quantò ſunt aliis interiores & majores.* Ariſtoteles lib. 1 Oeconom. c. 4. *Primum legibus defenduntur uxores, ne injuria illis inferatur. — Eſt autem injuria, quam facit maritus in conſuetudine cum extraneis.* Et cap. 7. *Habetur maximus honor caſtæ & pudicæ mulieri, ſi illa virum ſe ſolâ eſſe contentum & ſuam ſibi integritatem conſervare & perſvaſum habere intelligat, quod uxoris erga ſe amor & fides ſit ſingularis. Quoq; magis autem & fidelibus à viro ſe diligi uxor ſtatuet, & accuratius officio ſuo fungi ſtudebit. — Suo autem honore ſpoliari unusquisq; graviter ferre conſuevit. Nec tam gratum eſt tribui aliena, quàm moleſtum ſua ſibi adimi.* Cato lib. de re Ruſticâ c. 143. villicum inſtruens: *Uxore*, ait, *eâ contentus eſto, quam Dominus dederit, ea te metuat.* Plautus in Mercatore: *Uxor contenta eſt, quæ bona eſt, uno viro: Qui minus vir unâ uxore contentus fiet?* Apud LEMNIOS quoque exulabat

Polygamia. Inde enim Chremes ſenex, cum uxorem haberet Athenis divitem & aliam ducere vellet in Lemno, cogebatur mutare nomen & ſe Stilponem appellare, alias ſecunda illa Lemnienſis illi non nupſiſſet, qua de re Terentius videndus eſt in Phormione. Ubi & Act. 5. ſcena 7. paraſitum Phormionem introducit Chremetem de polygamia tanquam de gravi ſcelere notantem. Salluſtius in bello Jugurthino: n. 80. *Ea neceſſitudo apud Numidas Maurosq; levis ducitur: quod ſinguli pro opibus quisq; quamplurimas uxores, denas alii, alii plures habeant, ſed reges eò amplius. Ita animus multitudine diſtrabitur: nullam pro ſociâ obtinet: pariter omnes viles ſunt.* Plutarchus in conjugalibus præceptis: *Fidelem ajunt unguentorum odore ad inſaniam redigi. Eodem modo ſi unguentis mulieres afficerentur, flagicium utiq; eſſet, non abſtinere unguentis viros, ſed exiguæ voluptatis causâ tantam pati illis evenire miſeriam. Quando igitur mulieres ad inſaniam adigit non unguenti uſus, ſed maritorum cum meretricibus coitus, profectò injuſtum eſt, voluptatis gratiâ tantum doloris ac perturbationis uxori inferre, ac non potius purum intactumq; ab omnibus aliis mulieribus ad uxorem accedere.* Sextus Empiricus lib. 3. Pyrrhon. Hypothypoſεων c. 24: Νόμος παρ' ὑμῖν κελεύει μιᾷ συνοικεῖν ἕκαστον, *Lex apud nos unâ uxore contentum unumquemq; eſſet jubet.* De GERMANIS quoque Tacitus memorat, quod *ſingulis uxoribus fuerint contenti,* lib. de moribus Germanorum. Porrò lib. 9. Codicis Juſtinianei tit. 9. leg. 18. extat edictum Valeriani & Gallieni Imperatorum, quo ROMANÆ ditioni ſubjectis prohibetur apertè uxorum multitudo, & quidem ſub infamiæ pœna. Ita enim illud habet: *Eum, qui duas ſimul habuit uxores, ſine dubitatione comitatur infamia. In ea namq; re non juris effectus, quo cives noſtri matrimonia contrahere plura prohibentur, ſed animi deſtinatio cogitatur.* Hoc edi-

ctum à Diocletiano & Maximiano fuit repetitum lib. 5. Cod. tit. 5. leg. 2. *Neminem, qui ſub ditione ſit Romani nominis, binas uxores habere poſſe vulgo patet: cum etiam in edicto Prætoris hujusmodi, viri infamiâ notati ſunt, quam rem competens judex inultam eſſe non patietur.* Atque ad has ſine dubio leges etiam Juſtinus reſpexit, quando Apolog. ad Antoninum ſcribit: *Legibus humanis duplex contrahentes matrimonium peccatores ſunt.* Ammianus Marcellinus de Perſis loquens lib. 23. Hiſtor. *Effuſius plerique ſoluti in Venerem, ægrè que contenti multitudine pellicum puerilium ſtuprorum expertes, pro opibus quisque adſciſcens matrimonia plura vel pauca. Unde apud eos per libidines varias caritas diſperſa torpeſcit.* Denique & Claudianus de bello Gildonico:

— — — *Connubia mille*
Non illis generis nexus, non pignora curæ,
Sed numero languet pietas.

XI. Factum quoque hinc porrò eſt, ut etiam illi, qui complures habuerunt uxores, unam tamen præcipuè ex illis diligerent, cæterisque anteferrent. Conſtat id exemplo Ahasveri, qui Eſtherem plus adamaſſe dicitur ac reliquas mulieres ſuas omnes eamque ad præcipuæ conjugis ſ. Reginæ dignitatem aſſumptam coronâ aureâ incinxiſſe Eſth. II, 17. Unde & in Artaxerxe, quem plerique Ahasverum fuiſſe putant, notat Plutarchus quandam γαμετὰς declaratam. Et Joſephus lib. II. Antiquit. c. 6. factam eam eſſe dicit νόμιμον, *legitimam* uxorem. Nata quoque hinc duo illa uxorum genera, de quibus Cicero in Topicis: *Genus eſt uxor ejus duæ formæ. Una matrumfamilias, hæ ſunt, quæ in manum convenerunt, altera earum, quæ tantummodo uxores habentur.* Ad quæ verba ita Boëthius lib. 2. Comm. in Topic. Cic. *Tribus modis uxor habebatur, uſu, farre, coëmptione. Sed confarratio ſolis Pontificibus conveniebat. Quæ enim*

in

in manum per coëmptionem convenerant, hæ matresfamilias vocabantur. Quæ verò vel uſu vel farre, minimè. Coëmptio verò certis ſolennitatibus peragebatur & ſeſe coëmendo invicem interrogabant: Vir ita, an ſibi mulier materfamilias eſſe vellet, illa reſpondebat, velle. Mulier, an ſibi Paterfamilias vir eſſe vellet? ille velle reſpondebat. Itaq; mulier viri conveniebat in manum: & vocabantur hæ nuptiæ per coëmptionem, & erat materfamilias viro loco filiæ. Quibus gemina habet etiam Servius in Georgic. Scilicet uxores quidem dicebantur omnes, quæ in matrimonium cum viro procreandæ prolis ergò convenerant; matresfamilias autem, quæ in familiam quoque viri migrârant. Quod poſterius etiam Gellius obſervavit lib. 8. c. 6. ſcribens: *Idonei vocum antiquarum enarratores tradunt matremfamilias appellatam eſſe eam ſolam, quæ in mariti manu mancipioq; aut in ejus, in cujus maritus, manu mancipioq; eſſet, quoniam non in matrimonium tantum, ſed in familiam quoq; mariti & in ſui heredis locum veniſſet.* Pariter & Servius ad lib. II. Æneid. *Alii matresfamilias dicunt illas, quæ in matrimonium* (legendum forte in manum) *per coëmptionem convenerunt, nam per quandam juris ſolennitatem in familiam migrant mariti.* Nonius Marcellus quoque *matremfamilias* dici ait eam, *quæ in familiâ manicipioq; ſit patrisfamilias, etſi in mariti matrimonio eſſet.* Ad hæc & Feſtus: *Materfamilias non ante dicebatur, quam vir ejus paterfamilias eſſet, nec, poſſunt hoc nomine plures in una familiâ præter unam appellari.* Denique pertinet huc, quod de TARTARIS quoque memorat Vincentius Beluacenſis lib.32. Speculi Hiſtorialis c.6 quod uxores quidem ſingulis ſint complures, ſed una honoratior. *Cum Tartarorum*, inquit, *unus habet uxorum multitudinem unaquæq; per ſe ſuam habet familiam & ſtationem. Et una die Tartarus comedit & bibit & dormit cum*

unâ, alterâ die cum aliâ. Una tamen inter cæteras major habetur, cum quâ frequentius, quâm cum aliis commoratur. De Japanenſibus ſimile quid refert Arnoldus Montanus in legationibus ad aliquot Japanenſium Imperatores; *Quantumvis*, ait p. 361. *Japanenſes quotquot volunt, uxores ducant, una tamen ſola ex illis pro legitima conjuge habetur, quæ & ſola cum marito menſâ fruitur communi, reliquis illi miniſtrantibus. Ferunt quoq; harum liberi, patre mortuo, non niſi portiunculam quandam ex paternâ hæreditate, quæ de cætero tota obvenit legitimæ conjugis filiis filiabusq;.* Addit hunc morem ad illos à Chinenſibus derivatum, de quibus & Joannes Hugo Lintſcotanus Navigat, 1. in Orientem, c. 26. *Unam habent uxorem legitimam, concubinas verò, quotquot alere poſſunt, liberum eſt habere. Filius unus ex legitimâ natus præcipuam bonorum, partem hæreditariam capit, reliquum reliqui æqualiter inter ſe dividunt.* Conf. Wilhelm Johan Müllers Beſchreibung der Africaniſchen Landſchafft Fetu: im vierdten Theil. n. II. p. 178. ſeq. Von heurahten. Unter dieſen iſt das erſte Weib / ſo odufu genennent wird / das vornemſte / dieſe wird auch von dem Mann und Kebsweibern vor allen geehret: ꝛc. Sic etiam in ipsâ multitudine natura ad unitatem matrimonium perducere laboravit. Ut adeo dubium amplius non ſit, quin connubium unius cum unâ quam maximè ſit naturæ hominis accommodatum.

XII. Quamvis verò hæc ita ſe habeant, *non putamus tamen conjugium unius mariti cum pluribus eſſe omninò NATURÆ LEGI ADVERSUM, quale quidem aliàs eſt CONNUBIUM UNIUS MULIERIS CUM PLURIBUS VIRIS.* Unus enim vir plures quidem poteſt imprægnare mulieres, mulier autem una non poteſt imprægnari unâ vice à pluribus. Præterea viro ſubjecta eſt mulier, non vir

mulieri.

mulieri. Unde & de Jure Civili maritus quidem de adulterio uxorem accuſare poteſt, uxor maritum non item. Sic enim lex 1. C. ad legem Juliam de adulr. *Publico judicio non habere mulieres adulterii accuſationem, quamvis de matrimonio ſuo violato queri velint, lex Julia declarat: quæ cum maſculis jure mariti accuſandi facultatem detuliſſet, non idem fæminis privilegium detulit.* Porrò fines matrimonii, ſi una fœmina pluribus cohabitet viris, omninò evertuntur. Suam enim prolem in tali confuſione quis poſſet agnoſcere? Dictitatque ſatis ſuperque experientia commixtione plurium ſeminum conceptionem impediri ſterilitatemque induci. Inde enim fit, ut meretrices utplurimum ſint infæcundæ, quod & Rupertus lib. 2. Comment. in Geneſin c. 35. obſervat, cum ait: *Vir quidem multis mulieribus impenſus plures procreare poteſt liberos: Mulier autem multis ſubacta viris non fœcundior fit, ſed turpior.* Impeditur adhæc domeſtica ſocietas, quæ non plures, ſed unum ſolùm ſecundum naturæ ductum ſibi præſtitutum cupit patremfamilias, perinde ut corpus unum ſibi caput natura expoſcit, non plura. Ut taceam, cognationum omnia genera hoc modo confundi, ac veluti aboleri. *Si enim*, ut benè Lactantius lib. 3. c. 20. *omnes omnium liberi ſunt, quis amare liberos tanquam ſuos poterit cum ſuos eſſe aut ignoret, aut dubitet? quis honorem tanquam Patri deferet, cum, unde natus ſit, neſciat? Ex quo fit, ut non tantum alienum pro patre habeat, ſed etiam patrem pro alieno.* Neq; remedium contra concupiſcentiam hujusmodi conjugium poteſt afferre. Experientia enim teſtatur in iis, quæ plures experiuntur, fœminis libidinem non minui, ſed augeri, quæ & ſola, cum non niſi ex uno eodem tempore fœtus concipi queat, hic quæri poteſt, quod tamen à rectâ ratione planè eſt alienum. *COHABITATIO autem UNIUS VIRI, CUM PLURI-*

BUS

BUS FÆMINIS non omninò evertit fines matrimonii. Poteſt enim vir unus ex pluribus uxoribus proles ſuſcipere & ſuſceptas, ſi dives cumprimis ſit, alere atque educare, unaquaque uxorum ſuorum liberorum curam propriam gerente. Poſſunt quoque plures uxores, dummodo ſint probæ, uni viro cohabitare & rem domeſticam junctâ operâ & conſiliis adminiſtrare, ad eum modum, quo reſpublica adminiſtratur, quæ conſilio optimatum regitur; aut cura inter eas, marito diſponente, & uni una, alteri altera ejus pars committi; vel ſic negotium tranſigi, ut una ſolum ex illis ad gubernandam familiam tanquam domina aſſumatur, cujus & ſolius filii patrimonii paterni ſint hæredes: reliquæ autem prolis ſuſcipiendæ ergò ducantur, familia autem iis non committatur, nec liberi eorum paternam adeant hæreditatem, ſed aliquâ bonorum portiunculâ, veluti aliquâ pecuniæ ſumma, & ſuppellectile neceſſariò, jumentis item quibusdam & pecoribus de grege & armentis, dotatæ dimittantur. Denique & tertius finis etiam in hujusmodi matrimonio, etſi non tam commodè atque in conjugio duorum obtineri poteſt, dummodo temperantiæ, ut fas eſt, ſtudeant omnes atque etiam aliis, quæ ad refrenandam libidinem conducunt, mediis utantur, quod & conjugatis nonnunquam eſt faciendum.

XIII. Atque hinc factum eſt, ut & *POLYGAMIA* olim *apud GENTES*, non paucas obtineret. *EAM* ſanè *QVA UNI FOEMINÆ PLURES VIRI fuerint juncti* non facile inveniemus apud ullam gentem obtinuiſſe. De Britannicâ quidem gente tale quid referre videtur Euſebius lib. 6. Præpar. Evangel. c. 10. ex Bardeſane, cujus hæc ſunt verba: Ἐν Βρεττανίᾳ πολλοὶ ἄνδρες μίαν γυναῖκα ἔχουσι, *In Britanniâ plures viri unam uxorem habent.* Sed & Julius Cæſar lib. 5. de Bello Gallico de Britannis: *Uxorem*, inquit,

ducunt

ducunt deni duo deniq; inter ſe communes, & maximè fratres cum fratribus, parentesq; cum liberis: & ſiqui ex eis nati ſunt eorum habentur liberi, à quibus quæq; virgines ductæ ſunt. De Arabibus Aromatiferam regionem incolentibus ſimile quid memorat Strabo lib. 16. Geograph. his verbis: Μία γυνὴ πᾶσιν, ὁ δὲ φθάσας εἰσιὼν μίγνυται, προθεὶς τῆς θύρας τὴν ῥάβδον, *Una omnibus uxor eſt, qui prior ingreditur, poſito ante januam baculo, cum eâ congreditur.* De Æthiopibus inſuper Garamanticis Martianus Capella lib. 6. ubi de interiore Africâ: *Garamantes,* inquit, *vulgò fœminis ſuis matrimonio ſociantur.* Videturq; ad hos reſpexiſſe & ipſe Ariſtoteles lib. 2. Polit. c. 2. quando *quibusdam ſuperioris Libyæ populis mulieres* dicit *eſſe communes.* Et Claudianus de bello Gildonico:

— — Connubia mille,
Non illis generis nexus, non pignora curæ,
Sed numero languet pietas.

Denique & de Limyrnis vel, ut alii legunt, Liburnis Nicolaus ſcriptor Græcus lib. περὶ ἐθῶν, *ſive de moribus gentium,* apud Stobæum Serm. 44. de legibus & conſuetudinibus: Λιμύρνιοι κοινὰς τὰς γυναῖκας ἔχουσι, καὶ τὰ τέκνα ἐν κοινῷ τρέφουσι μέχρι ἐτῶν πέντε, *Limyrnii uxores habent communes, & liberos communiter alunt usq; ad annos quinq;.* Sed quis veras has dixerit fuiſſe nuptias, quibus nihil minus, quam fines obtinentur nuptiarum? Confuſio potius hæc mulierum, non verum matrimonium. Unde & Plinius de Æthiopibus Garamanticis verba faciens lib. 5. Nat. Hiſtor. c. 8. *Garamantes,* ait, *matrimoniorum exortes paſſim cum fœminis degunt.* Et Pomponius Mela de iisdem lib. 1. *Nulli Garamantum certa uxor eſt. Ex illis, qui tàm confuſo parentum coitu paſſim incertiq; naſcuntur, quos pro ſuis colunt, formæ ſimilitudine agnoſcunt.* Sed & Solinus c. 39. (43) *Garamantici Æthiopes privatim matrimonia neſciunt, ſed omnibus*

E *vulgò*

vulgò uti Venere licet. Inde eſt, quod filii matres tantum recognoſcunt: nam paterni nominis nulla reverentia eſt. Quis enim verum patrem noverit in hac luxuriâ incepti laſcivientis? Ea propter Garamantici Æthiopes inter omnes populos degeneres habentur? nec immeritò, quia afflicta caſtitatis diſciplina ſucceſſionis notitiam ritu improbo perdiderunt. Matrimonii ergò unius fœminæ cum pluribus viris exempla genuina non extant. Aſt unum virum pluribus fœminis junctum eſſe, frequentiſſimum fuit apud Nationes. Judæis quid hac in re uſu venerit ſatis ſuperque vel ex ſacris eſt manifeſtum. Quem enim latet ipſum Abrahamum & Jacobum, unde iſti ortum traxerunt, plures habuiſſe uxores? Sed & ipſi Moſi, neſcio tamen quâ traditione uſus lib. 2. Archælog. c. 5. binas tribuit Joſephus, videlicet *Tharbin*, *Æthiopiæ Regis* & *Sepphoram*, *Raguelis* ſeu Jethronis *filiam*, cujus tamen ſolius in ſacris fit mentio. Taceo Davidem, Salomonem & alios. De Ægyptiis autem idem Diodorus memorat lib. 1. c. 80. his verbis: *In matrimonium Ægyptiorum Sacerdotes unam, alii quot quis velit, ducunt, natisq́ alendis cunctos operam dare neceſſe eſt.* De Indis porrò Cicero lib. 5. Tuſcul. Quæſt. *Mulieres*, inquit, *in Indiâ, cum eſt cujusq́ earum vir mortuus, in certamen judiciumq́ veniunt, quamplurimum ille dilexerit, plures enim ſingulis ſolent eſſe nuptæ.* Et Solinus Polyhiſtor c. 65. *Apud eos* (Indos) *quibus ad vivendi rationem propenſior cura eſt, multæ uxores in ejusdem viri coëunt matrimonium, & cum maritus deceſſerit, apud graviſſimos judices ſuam quæq́ de meritis agunt cauſam.* Sed & ſpeciatim de Gymnoſophiſtis illorum Brachmanibus Strabo lib. 15. Geograph. *Cum triginta & ſeptem annos ſic*, id eſt, continentes, *vixerint*, integrum illis eſt *in ſua ſecedere, & laxius licentiusq́ vivere,*

vivere, ſindonem induere, aurum in manibus & auribus moderatè geſtare, & carnibus veſci animalium, γαμεῖν δὲ ὅτι πλείστας εἰς πολυτεκνίαν, *quamplures ducere uxores, multiplicandæ prolis ergò, nam è pluribus plura etiam naſci bona.* De Thracibus autem Pomponius Mela lib. 2. *Et hi*, inquit, *ſinguli plurimas uxores habent.* Quod etiam memoriæ proditum reliquit Euripides in Adromacha, nec non Heraclides in Ponticis, Solinus item lib. 2. c. 15. ubi ſubdit, *hos uxorum numero ſe jactare, & honoris loco multiplex conjugium ducere.* De Garamantis porrò, Æthiopum populis Strabo lib. 17. teſtatur, quod *plures habuerint uxores*, utut alii eos matrimoniorum exortes paſſim cum fœminis conſveſcere ſolitos fuiſſe tradant, inter quos eſt & Plinius lib. 5. c. 8. item Pomponius Mela lib. 1. Solinus item c. 39. vel juxta aliorum ſectionem c. 43. Marcianus Capella lib. 6. & alii. De Naſamonibus autem Herodotus lib. 4. *Uxores plures ſinguli è conſvetudine habent.* Ulterius de Parthis Juſtinus lib. 41. c. 3. *Uxores*, inquit, *dulcedine variæ libidinis ſinguli plures habent.* Quod ipſum confirmant & alii, Bardeſanes lib. de fato, & ex noſtris Clemens Romanus lib. 9. Recogn. c. 7. Euſebius lib. 6. de præparat. Evang. c. 8. & alii. Apud Perſas autem idem obtinuiſſe jam ante ex Marcellino probavimus. Sed & ante eum idem teſtatur Herodotus lib. 1. his verbis: Γαμέουσι δὲ ἕκαστος αὐτῶν πολλὰς μὲν κουριδίας γυναῖκας, πολλῷ δ' ἔτι πλεῦνας παλλακὰς κτῶνται, *Ducunt unusquisque ipſorum multas quidem puellas virgines, multò autem plures pellices habent.* Strabo quoque de iisdem lib. 15. Γαμοῦσι πολλὰς καὶ ἅμα παλλακὰς τρέφουσιν πλείους πολυτεκνίας χάριν, *Ducunt uxores complures, & multas pellices alunt, multiplicandæ ſobolis gratiâ:* Agathias lib. 2. Potentes

 tes

tes apud Perſas inferiores damnis adficiunt, magnaque invicem crudelitate ac diritate ſe vexant quodque omnium maximè abſurdum eſt, cuivis fas eſt, innumeras propè ducere uxores. De Syrorum Regibus idem refert Cicero 3. in Verrem n. 76. ſcribens: *Solere ajunt barbaros Reges Perſarum ac Syrorum plureis uxores habere*. De Medorum autem Regibus idem affirmat Strabo lib. 11. dicens: *Medorum eſt reges multas uxores habere, pauciores autem quàm ſeptem non licet.* De Pæonibus Herodotus rurſum in Terpſichore: *His auditis*, inquit, *Pæones magnam ſanè voluptatem acceperunt: ſumptisq; liberis atq; uxoribus ad mare fugâ ſe proripuerunt: nonnullis eorum præ metu illinc remeantibus.* De Gelonis Valerius Flaccus lib. 7. Argonautic. illo carmine:

Hei mihi vel ſævo conjux non una Gelono.

De Numidis & Mauris ſive Mauruſiis locum Saluſtii jam ante adduximus ex Bello Jugurthino. Paulus Venetus lib. 1. de regionibus Orientalibus c. 55: *Propter uxorum multitudinem Tartari plurimas habent filios. Nec eſt uxorum multitudo Tartaris admodum oneroſa, quum illæ ſuis laboribus multa lucrentur.* Et Vincentius Beluacenſis lib. 30. Speculi Hiſtorialis c. 76. *Uxores ſibi Tartari accipiunt, quotquot volunt & ſuſtentare poſſunt.* Idem habet etiam Sebaſtianus Münſterus lib. 5. Coſmographiæ Univerſalis c. 106. Qui & de Americanis id ipſum refert eodem quinto libro c. 169. de illis ſcribens: *Nullum legitimum thori fœdus habent in connubiis, habet quisq; quot vult mulieres.* Ulterius de Cyrenaicis Pomponius Mela lib. 1. de ſitu orbis c. 8. *Singulis aliquot ſimul conjuges & plures ob id liberi agnatiq;*

ſunt

ſunt. Apud Siculos quoque *Dionyſium uno ſimul tempore cum Doride Locrenſi & Ariſtomacha Syracuſanâ* nuptias celebraſſe conſtat ex Cicerone lib. 5. Tuſcul. Quæſtionum ac Plutarcho in Dione Valerio Maximo lib. 9. c. 14. & Æliano lib. 13. Variæ Hiſtoriæ, qui tamen poſteriorem illam uxorem vocat *Ariſtænetam.* Macedones verò eodem more fuiſſe uſos argumento eſt, quod Plutarchus in vitâ Alexandri refert *Philippum* Macedonum Regem, Alexandri Patrem, *eodem tempore duas Macedonum uxores habuiſſe*, *Olympiadem* ſcilicet, Alexandri matrem, & *Cleopatram*, Attali ex ſorore nepotem. Sed & de ipſis Athenienſibus memorant Satyrus & Hieronymus Rhodius apud Laertium in Socrate, nec non Athenæus lib. 13. Dipnoſophiſt. quod *cum bellis ac lue exhauſtam civibus civitatem reparare vellent, decreverint, ut qui è civibus adhuc ſuperſtites eſſent, urbanam quidem uxorem unam haberent, liceret tamen iis etiam ex alterâ ſobolem procreare.* Quam legem etiam poſt alteram illam à Cecrope latam, cujus antè mentionem fecimus, viguiſſe exemplo *Socratis* docemur, qui & ipſe *duas* habuiſſe legitur uxores, *Xantippen* nempe & *Mirtonem*, Ariſtidis alicujus filiam. Quin & ipſe Euripides ob eam legem duas uxores domum duxiſſe traditur à Suidâ & aliis, *Chærinam* ſcilicet, *Mneſilochi* filiam & alteram quandam. Perſvaſus enim ab initio erat ad felicitatem conferre aliquid & uxorum copiam, quemadmodum vel ex Stobæi ſerm. 66. colligere eſt, ubi hæc citat ejus verba:

> Νόμοι γυναικῶν οὐ καλῶς κεῖνται πέρι·
> Χρὴ γὰρ τὸν εὐτυχοῦνθ', ὅτι πλείστας ἔχειν
> Γυναῖκας, εἴπερ ἂν τροφὴ δόμοις παρῇ,
> ὡς τὴν κακὴν μὲν ἐξέβαλλε δωμάτων

Τὴν δ᾽ οὖσαν ἐσθλὴν , ἡδέως ἐσώζετο.
Νῦν δ᾽ εἰς μίαν βλέπουσι κίνδυνον μέγαν
Ῥίπτοντες, οὐ γὰρ τῶν τρόπων πειρώμενοι
Νύμφας ἐς οἴκους ἑρματίζονται βροτοί.

Haud ſcripta rectè jura ſunt connubiis
Decuit beatum pluribus ſe uxoribus
Sociare, quantas alere ſufficeret domus,
Vt inaudientem pelleret penatibus
Bonam volenti corde ſervaret ſibi-
Nunc una ſola accipitur immenſo nimis
Vitæ periclo, nam priusquam intrat domum
Nova nupta, nulla moris exploratio eſt.

Sed poſtea mutavit ſententiam, cum parum fidam ſibi utramque conjugem fuiſſet expertus. Adeò enim id ipſum affecit animo, ut *in ſpeluncam tetram & horridam in inſulâ Salamine mulieres deinceps majorem in modum exoſus, ſe abdiderit, in qua tragœdias ſuas conſcripſit*, ceu ex *Philochoro* memoriæ prodidit Gellius lib. 15. Noct. c. 20. *Philochorus refert in inſulâ Salamine ſpeluncam eſſe tetram & horridam, quam nos vidimus, in quâ Euripides tragœdias ſcriptitarit, mulieres ferè omnes in majorem modum exoſus fuiſſe dicitur, ſive quod naturâ abhorruit à mulierum cœtu, ſive quod duas ſimul uxores habuerat, quum id decreto ab Athenienſibus facto jus eſſet; quarum matrimonii pertædebat.* Adhæc inter Lacedæmonios quoque *Anaxandriden* Regem duas uxores ſimul habuiſſe tradit Pauſanias in Laconicis, nec non Herodotus in Terpſichore, qui ſcribit, *illum fuiſſe compulſum ab Ephoris ſecundam ducere, ex quâ ſucceſſores relinqueret, cum prior ſterilis putaretur, quod jam diu liberos non ſuſtuliſſet.* Apud Germanos quoque aliquando duas

uxore

uxores ſimul ducere licuiſſe confirmat exemplum Arioviſti Germani, quem Julius Cæſar lib. 1. de bello Gallico narrat *duas* uno tempore habuiſſe uxores, *unam Suevam natione, alteram Noricam Regis Viccionis ſororem.* Denique apud Romanos quoque ut morem hunc introduceret modo nominatum Cæſarem cogitaſſe Helius Cinna tribunus plebis fuit teſtatus. Fatebatur enim apertè *ſe ſcriptam paratamq; habuiſſe legem, quam ille fieri juſſiſſet, ut uxores liberorum quærendorum causâ quot vellent, ducere liceret,* ut tradit Svetonius in vitâ Cæſaris c. 52. Hos omnes arduum eſt dicere ita immemores fuiſſe legis naturæ, ut directè in illam impegerint, juraque ejus omninò violarint. Definit Ariſtoteles jus naturale, *quod ubiq; gentium unam vim obtinet, nec ideo valet, quod ita decretum ſit, vel non decretum.* lib. 5. Ethic. c. 7. Cui geminum eſt, quod habet Cicero lib: 3. de Republ. *Eſt vera lex, recta ratio, naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna; quæ vocet ad officium, jubendo; vetando, à fraude deterreat: quæ tamen neq; probos fruſtra jubet, aut vetat nec improbos jubendo, aut vitando movet. Huic legi nec promulgari fas eſt; neq; derogari ex hâc aliquid licet; neque tota abrogari poteſt. Nec vero aut per Senatum, aut per populum ſolvi hâc lege poſſumus. Neq; eſt quærendus explanator aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis; alia nunc, alia poſthac; ſed & omnes gentes, & omni tempore una lex, & ſempiterna, & immutabilis continebit, unusquisq; erit communis Magiſter quaſi & imperator omnium Deus; illæ hujus inventor, diſceptator, lator; cui qui non parabit, ipſe ſe fugiat, ac naturam ominis aſpernabitur: hôc ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cætera ſupplicia, quæ putantur effugerit.* Denique & Juſtinianus Imperator Inſtit. de Jure naturæ §. Sed Naturalia: *Naturalia quidem,* inquit, *jura, quæ apud omnes gentes*

gentes peræquè obſervantur divinâ quâdam providentiâ conſtituta ſemper firma atq; immutabilia permanent. Intelligendum autem hoc de gentibus moratioribus. *Sicut enim in naturaliter affectis corporibus* (ſunt verba Michaëlis Epheſii ad cap. 7. lib. 5. Ethic. Ariſt.) *dextra manus aptior eſt ad operandum ac validior ſiniſtrâ, in iis verò, quæ præter naturam ſe habent, è contrario ſiniſtra eſt melior, qui ſanè multò ſunt pauciores, ſicut itidem bipedes ſunt omnes homines duobusq́; oculis præditi ac quinq; digitis, qui ſcilicet naturali hominum procreatione orti ſunt, non ita verò, qui præter naturam & prodigioſè naſcuntur: ſic quoq; inter eos, qui in naturâ ſuâ perſtitêre, neq; ex eâ ſunt exturbati ac dimoti, naturale jus inviolabile atq; immutabile conſervatur.* At tale non eſt connubium unius cum unâ. Multi enim ex prædictis populis, quibus polygamia fuit in uſu ſatis fuêre morati, nec alium ducem, quam rationem, ſequi videri voluerunt. Ita ergò connubium unius cum unâ in lege naturæ fundatum eſt, ut alterum, quod marito uni cum pluribus intercedit, non omninò legem illam evertat, etiamſi primæ ejus haud reſpondeat intentioni. Id quod etiam ex Patribus aliqui agnoverunt. Veluti Auguſtinus, cujus hæc ſunt verba lib. de bono conjugali c. 18. *Occultâ lege naturæ amant ſingularitatem, quæ principantur. Subjecta verò non ſolum ſingula ſingulis, ſed ſi ratio naturalis, vel ſocialis admittit, etiam plura uni non ſine decore ſubduntur. Neque enim ſic habet unus ſervus plures Dominos, quomodo plures ſervi unum Dominum. Ita duobus ſeu pluribus maritis vivis nullam legimus ſerviſſe ſanctarum, plures autem fœminas uni viro legimus conjunctas. — Neq; enim contra naturam nuptiarum eſt, plures enim fœminæ ab uno viro fœtari poſſunt, una verò à pluribus non poteſt. Hæc eſt principiorum vis, ut plures fœminæ uni viro ſint, ſicut multæ*

animæ

animæ uni Deo rectè ſubduntur. Theodoretus quoque Quæſt. 66. in Geneſin diſertè ait, *naturam non prohibere plures ducere uxores.* Sed & Theodorus Abacara hinc non conatur conjugium viri unius cum pluribus uxoribus ſimpliciter legi naturæ adverſum eſſe pronunciare, etſi jure meritoq; μονογαμίαν πολυγαμίᾳ dicat eſſe εὐτιμωτέραν ϗ ἐννομωτέραν, *ſanctiorem & honoratiorem* Opuſculo 24. Tom. XI. Bibl. PP. Denique & ex Scholaſticis, qui dicunt matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus eſſe contra jus naturæ, non audent illud aſſerere eſſe contra iſtud ſimpliciter & abſolutè, ſed ſolum ex parte. Ita enim Thomas in 4. Sentent. diſt. 33. *Poteſt aliquid contra legem naturæ eſſe dupliciter. Uno modo, quia repugnat naturæ hominis, ex quâ eſt animal, ſicut vitium Sodomiticum eſt contra naturam, per quod prolis generatio impeditur à naturâ omnium animalium intenta. Sic non eſt contra legem naturæ, quandò unus vir habet plures uxores, eſt autem ſic contra legem naturæ, quod una uxor habeat plures viros. Unus, enim poteſt plures fæcundare, non autem una à pluribus. Alio modo dicitur aliquid eſſe contra legem naturæ, quia eſt contra naturam hominis, ex quâ eſt homo ſcilicet contra rationem, ſicut furtum eſt contra legem naturæ, in quantum ſcilicet aliquid fit, cui ratio naturaliter repugnat. Repugnat autem aliquid rationi dupliciter. Uno modo ſicut id, cum quo nullo modo poteſt ſtare bonum rationis, ſicut furtum, homicidium & hujuſmodi. Alio modo ſicut id, cum quo poteſt aliqualiter ſtare bonum, quod ratio intendit, ſed tamen cum aliquâ difficultate vel incommoditate: & ſic habere plures uxores eſt contra legem naturæ. Intendit enim naturaliter ratio in homine non ſolum procreationem prolis, ſed etiam communicationem in vitâ, quæ non poteſt de facili eſſe pacifica, ſi unus vir plures habeat uxores.* Pariter & Johannes Duns Scotus in ejuſ-

F dem

dem lib. 4, Sentent. diſtinct. 33. Quæ. 1. & 2. *Aliqua ſunt de lege naturæ ſtrictè cujusmodi ſunt prima principia practica, & illa, quæ neceſſariâ illatione & manifeſtâ deductione ſequuntur ex eis immediatè. Et contra iſta non cadit aliqua diſpenſatio, quia iſta non poſſunt aliquo modo melius fieri. Alia ſunt de lege naturæ magis largè, non quod ſint prima principia practica, ac etiam neceſſariò ex iis ſequentia, ſed tantum dicuntur de lege naturæ, quia ſunt legi naturæ multum conſona: & ſic eſt de lege naturæ, ut una ſit tantùm unius. — non tamen eſt contrarium legi naturæ primo modo, ſi fiat propter majus bonum, quàm ſit illud bonum, quod eſt conſonum legi naturæ, & ideò contra id, quod ſic eſt de lege naturæ, poteſt diſpenſari ab auctore naturæ.* Ita & alii Scholaſticorum. Quibus accedit & Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis, qui videndus eſt Quæſt. 30. in Matthæi decimum nonum, nec non quæſt. 33. ubi hæc habet verba: *Non eſt contra legem naturæ pluralitas uxorum accipiendo ſtrictè jus naturæ, & etiam accipiendo largius non eſt contra jus naturæ, id eſt, contra prima præcepta juris naturæ, ſed ſolum, contra ſecunda,* quæ *non habent vim cogendi & obligandi determinatè, niſi quando vel lege divinâ, vel humanâ, vel conſuetudine ſancita ſunt.*

XIV. Hæc verò cum ita ſint comparata, non difficile amplius eſt intelligere, quid reſpondendum ſit ad quæſtionem illam, quâ quæritur, *an monogamia in ipſâ creatione ſit inſtituta & quidem ita, ut inſtitutio iſthæc vim habeat præcepti præſertim in ſtatu poſt lapſum?* Non latet nos, quid Auguſtinus lib. 2. contra Adverſarium legis & Prophetarum c. 1. & ex eo Anshelmus in c. I. Epiſt. I. ad Timotheum de Hebræis memorant. Nempe ſentire eos, quod Deus in ipsâ ſtatim creatione *duas* fæminas formarit easq; Adamo aſſociarit: ex quibus porrò diſpares deducunt filios

& ge-

& genealogias texant interminatas. Verba Auguſtini ſunt: Neſcit habere præter Scripturas legitimas & propheticas Judæos quosdam traditiones ſuas, quas non ſcriptas habent, *ſed memoriter tenent: & alter in alterum loquendo transfundit, quam Deuteroſin vocant; ubi etiam dicere audent & credere Deum primo homini duas creaſſe mulieres, ex quibus texunt genealogias verè, ſicut ait Apoſtolus, infinitas parientes infructuoſiſſimas quæſtiones.* In libro Ben Siræ, à Judæis Conſtantinopoli edito duæ illæ Adæ uxores recenſentur, Lilit & Eva: *Quando creavit Deus benedictus primum hominem, ſolum dixit: Non eſt bonum homini eſſe ſolum, creavit illi uxorem è terrâ ſimilem ipſi, quam vocavit Lilit.* Ex hac porrò ad ſimilitudinem ſuam tradunt Adamum genuiſſe dæmones, in Talmude Babylonico lib. Erubin ſ. de commixtionibus c. 2. *Dixit Rabbi Jeremias, filius Eleazaris: Omnibus illis annis, quibus excommunicatus eſt primus homo, genuit Spiritus & Dæmones juxta illud Gen V. 3. Et vixit Adam 130 annos & genuit ad ſimilitudinem ſuam.* Quod fuſius exponit Auctor Tzeror hammor in Levit. ſect. Iſchach Citazriang, id eſt, Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit: *Jam ſcripſi ſupra per illos 130 annos, quibus ſeparatus eſt Adam ab uxore ſua* (Eva) *adhæſiſſe illi ſpecies immundorum & ſpecies dæmonum: & ex eo exortas eſſe omnes pollutionum ſpecies: menſtruorum: fluxus ſeminis & pollutionis nocturnæ: ideoq; dicunt Pſal. XCI, 10. Et plaga non appropinquabit tabernaculo tuo. Hæ ſunt plagæ filiorum hominis, quatenus illæ plagæ & illi dæmones ab eo prodierunt tanquam filiæ ejus ex Lilit majore & Lilit minore. Propterea dicitur Deut. XXIII, 10. Si fuerit in te vir, qui non fuerit mundus à pollutione nocturnâ. Porrò ex hoc accidente, quum in ſomnis videtur ſibi vir rem habere cum muliere, ſi ex illâ viſione ſemen emittat, ex eo oriuntur Dæmones, & umbræ hominis adhærent, quum*

ex hoc mundo diſcedit, quamobrem ſtatuerunt ſapientes f.m. circa mortuum circuitus ſeptem fieri: quia ejusmodi circuitionibus fugantur dæmones. In Geneſ. ſect. Bereſchit idem Judæus ait ſpeciem illam mulieris, quæ apparet in ſomnis ad excitandam pollutionem vocari Lilit. Verba ejus ſunt: *Aliquando apparet in ſomnis dæmon ſub ſpecie mulieris. Hæc eſt Lilit.* Verum figmenta hæc cerebri ſunt ab hominibus vanis profecta. Sacer certè codex rerum creationem deſcribens duas uxores Adamo conceſſas non novit, ſed unam ſolùm agnoſcit. Sic enim Deus mox in præfatione ipſius operis: *Non eſt*, inquiebat Gen. II, 18, *commodum, ut homo ſit ſolus, faciamus illi adjutorium, quod coram eo ſit.* At non adjutorium, ſed adjutrices dixiſſet, ſi pluribus eum uxoribus deſtinaſſet. Hinc additur ℣. 21, 22: *Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam & obdormivit; tulitq; unam ex coſtis ejus, carnem illius loco claudens: Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de homine, in mulierem,* id eſt, fecit ex eâ mulierem, *& adduxit eam ad hominem.* Hîc rurſus non niſi unius fœminæ mentio fit, quam Deus Adamo finxerit, unâ ejus coſtâ decerptâ ſine dubio ex pluribus. Unam quoque agnoſcebat Adam, dicens ℣. 23. *Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro ex carne meâ: propter quod vocabitur virgo, ea quod de viro ſumpta ſit hæc.* Potuiſſet ei facilè plures fœminas formare: ſed nolebat. Unâ potius volebat eum eſſe contentum. In ejusmodi enim ſtatu eum dubio procul collocaverat, qui maximè conformis erat hominis naturæ. Ad hanc autem maximè quadrare connubium unius cum unâ, jam antè dedimus probatum. FIXISSE verò *hoc ipſo quodammodo & legem homini*, ut in ejusmodi conjugio etiam deinceps viveret, agnoſcebat Adamus ipſe. Subdebat enim mox verbis antè adductis: *Propterea deſeret vir patrem & matrem ſuam,*

& hæ

& hærebit uxori ſuæ, eruntq́ duo in carnem unam, ℣. 24, id eſt, erunt velut una caro & corpus unum. Quæ verba ille protulit ex inſtinctu ipſius Dei. Unde à Servatore Matth. XIX, 4, 5. apertè huic tribuuntur. Sic enim ille Phariſæis: *Annon legiſtis*, inquiebat, *quod is, qui fecit ab initio*, id eſt, qui hominem ab initio creavit, *maſculum & fæminam fecit eos. Propterea deſeret homo, patrem & matrem & agglutinabitur uxori ſuæ.* Jam non extat quidem hodie in Hebræo vox, quæ vocem duo repræſentet. LXX tamen ejusmodi vocem agnoverunt. Sic enim illi verba Adæ reddiderunt: Καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. *Et erunt duo in carnem unam.* Nec aliter ea citat Servator ipſe loco adducto. Quin & Codex Samaritanus voculam iſtam expreſſit, nec non vulgatus Latinus, qui tranſtulit: *Erunt duo in carne unâ.* Syrus quoque reddidit. *Erunt ambo una caro.* Arabs autem: *Eruntq́ ambo quaſi corpus unum.* Ita ergo *INSTITUTUM CONJUGIUM* agnoſcit *ADAM, ut DUO TANTUM EO JUNGANTUR*, videlicet unus mas & fæmina una. Quod & ipſum non obſcurè Servator indicat, cum ait: *Annon legiſtis, quod Deus hominem ab initio creans DIXIT* id eſt, inſtituit, *ut duo ſint in carne unâ.* Nec aliter verba ex Geneſi adducta Patres exponunt. Polycarpus quidem, diſcipulus Johannis, in fragmentis a Victore Capuano, Seculi V. Scriptore, collectis: *Rectè*, inquit, *Deus, qui per inſpirationem divinam in corde Adam iſta verba: Propter hoc relinquet &c. formavit, ipſe Pater, à Domino loquutus fuiſſe refertur. Nam & Adam prophetiam hanc protulit; & pater, qui eam inſpiravit, rectè dicitur protuliſſe. Uno matrimonio*, ait Tertullianus Exhortatione ad Caſtitatem c 5. *cenſemur utrobiq́ & carnaliter in Adam & ſpiritualiter in Chriſto. Duarum nativitatum unum eſt monogamiæ præſcriptum. In utraq́ degenerat, qui de monogamiâ.*

gamiâ exorbitat. Et lib. de Monogamiâ c. 4. *Hoc ipſum demonſtratur à nobis non eſſe novam Monogamiæ diſciplinam. — Quæ enim poteſt antiquior forma proferri, quàm ipſe cenſus generis humani: Unam fæminam maſculo Deus finxit, unâ coſtâ ejus decerptâ, & utiq; ex pluribus.* Sed & in præfat. ipſius Operis: *Non eſt*, inquit, *bonum homini ſolum eum eſſe: faciamus adjutorium illi, Adjutores enim dixiſſet, ſi pluribus eum uxoribus deſtinaſſet. Adjecit & legem de futuro. Siquidem prophetice dictum eſt: Et erunt duo in unam carnem, non tres, neq; plures. Cæterum jam non duo, ſi plures.* Rurſus lib. 1. ad uxorem c. 2. *Unus Evæ maritus, & Eva una uxor: una mulier, una coſta.* Lactantius lib. 6. Inſtitut. c. 23. (al. 24.) *Divina lex duos in matrimonium, quod eſt corpus unum, pari jure conjungit.* Et in Epitome divinarum inſtitut. c. 8. *Vir eâdem lege tenetur, quâ Deus & viro uxorem unius corporis compage ſolidavit.* Athanaſius Quæſt. 97. ad Antiochum: *Audi Deum de viro & fœminâ dicentem: Erunt duo in carne unâ. Non dixit: Erunt tres.* Hilarius Pictavienſis can. 19. in Matth. *Illic* (Gen. 2.) *ſic verbis Adæ res omnis refertur: hic Dominus indicat ab eo, qui & hominem figuraverit, & mulierem fecerit omnia illa dicta eſſe.* Epiphanius hæreſi 33. quæ eſt Ptolemaitarum num. 9. *Cum hoc, Propter hoc relinquet, homo &c. non Deus, ſed Adamus dixerit, & ea ipſa tamen Dei eſſe verba Dominus in Evangelio teſtetur, ſatis res ipſa declarat, tum hæc Adami quidem ore, ſed Dei eſſe voluntate prodita*, ὅτι ἐκεῖ μὲν Ἀδὰμ εἴρηκε, θεοῦ δὲ βουλήσεις ἐφθέγγετο. Et mox: ὅτι μὲν νομοθεσία θεοῦ ἐστὶ, τοῦτο δῆλον, *quod ea lex ſit à Deo profecta eſt manifeſtum.* Ambroſius lib. de viduis in fine: *Lex divina cæleſti inter ſe conjuges auctoritate conſtrinxit, & difficile manet mutuus amor. Tulit enim coſtam de viro, & formavit fæminam, ut ſibi eos & invicem copularet, dicens: Et erunt duo in carne*

unâ

unâ. Non hoc de ſecundis, ſed de primis nuptiis dixit.: Chryſoſtomus homil. 36. in Matthæum: *Conſiderandum eſt, quod non ſolum ab opificio, verum etiam ab ipſo præcepto ſententiam ſuam corroborat. Non enim dixit, quia virum & mulierem unam ſolummodo fecit, verum etiam quia juſſit, ut Unus Uni conjungatur. Nam ſi voluiſſet alteram etiam conduci uxorem, uni viro creato multas conformaſſet mulieres, nunc verò & creationis & ſanctionis modo unum uni perpetuò conjungi & nunquam reſcindi oportere perdocuit.* Autor Operis Imperfecti apud eundem homil. 32. in Matthæum: *Non maſculum & multas fæminas, ut uni maſculo liceat plures fæminas poſſidere: neq; maſculos & fæminam, ut uni fæminæ liceat plures fœminas accipere; ſed maſculum & fœminam, ut una fœmina nullum maſculum putet factum eſſe in ſæculo, præter unum; ut unus maſculus nullam putet fæminam in ſeculo, niſi unam. Non enim duas aut tres coſtas detulit de latere viri & duas aut tres fecit mulieres.* Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum c. 8. *Una coſta à principio, in unam uxorem verſa eſt. Et erunt, inquit, duo in carne unâ, non tres, neq; quatuor.* Et Epiſt. ad Ageruchiam. *Primi hominis creatura nos docet plures nuptias refutare. Unus Adam & una Eva, imò una coſta ſeparatur in fæminam.* Rurſus in c. 19. Matthæi *natulem legem primamq; ſententiam vocat iſtam conjugii inſtitutionem.* Et ſubdit: *Dicendo maſculum & fæminam oſtendit ſecunda vitanda conjugia. Non enim ait maſculum & fæminas, quod ex priorum repudio quærebatur: ſed maſculum & fæminam, ut unius conjugis conſortio necterentur.* Auguſtinus lib. 1. de nuptiis & concupiſc. c 9. *Veruntamen magis pertinere ad nuptiarum bonum non unum & multas, ſed unum & unam ſatis indicat ipſa prima divinitus facta conjugii copula ut inde connubia ſumerent initium, ubi honeſtius attenderetur exemplum.* Victor Antiochenus ad c. 10. Marci: *Ad ipſam reſtitutionem quod attinet, ſi Deus una per divor-*

divortium dimiſſa aliam ſuperinduci voluiſſet, utiq; poſt virum unum conditum, non unam, ſed multas mulieres efformaſſet. Nunc verò ex ipsâ legis formâ primâq; generis noſtri inſtitutione unum virum UNI tantum mulieri perpetuò citra ullum prorſus diſſidium cohabitare debere oſtendit. Ex unâ namq; radice facti ſunt ambo? & in unum rurſum conveniunt ambo. Theodoretus ad c.7.Epiſt. ad Rom. *Unum virum & unam fæminam creavit Deus,* ἐν αὐτῇ τῇ διαπλάσει τὸν περὶ τοῦ γάμου νόμον τιθείς, *in ipſâ creatione matrimonii LEGEM ſtatuens.* Proſper Aquitanus ad c. 13. Epiſt. ad Hebræos: *Honorabile connubium eſt amore filiorum legitimè uxorem ducere, temporibus certis ab eâ abſtinere, nec plures uxores habere: quia ab initio creavit Deus maſculum & fæminam dixitq; eis, Creſcite & multiplicamini.* Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Offic. Eccleſ. c. 19. *Quod non unus & multæ, ſed unus & una copulantur, ipſa prima divinitus facta conjunctio in exemplum eſt. Nam cum Dominus hominem figuraſſet eiq; panem neceſſarium proſpexiſſet, unam de coſtis ejus mutuatus unam illi fæminam finxit, ſicq; Adam & mulier Eva una inter ſe nuptiis juncti formam hominibus de originis auctoritate & primâ Dei voluntate ſanxerunt.* Beda ad cap. 19. Matthæi, expendens verba illa: Ab initio maſculum & fæminam fecit eos: *Singulari numero protulit, ut unius conjugis conſortio necterentur. Præmium nuptiarum ex duobus unam carnem fieri.* Chriſtianus Druthmarus cap. 42. in Matthæum: *Ipſe Deus, qui per Moyſen legem nobis dedit, ipſe, narrante eodem Moyſe, non fecit cum uno maſculo, niſi unam fœminam. Non duas, ut eum unam ejeciſſet, aliam ſortiretur. Et etiam Deus per Adam prophetavit, quod relinquet homo patrem & matrem ſuam & adhærebit uxori ſuæ. Et hic non dixit uxoribus, quaſi de pluribus, ſed de unâ. Et erunt duo, non dicit tres, in carne unâ.* Nicolaus Primus ad conſulta Bulgarorum c. 51. *Duas*

tempore

tempore uno habere uxores non admittit ipſa origo humanæ conditionis. — Nam Deus, qui fecit hominem ab initio, maſculum unum fecit & unam fæminam tantum, cui potuit utiq; ſi vellet, duas uxores tribuere, ſed noluit. Scriptum quippe eſt: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: non dixit uxoribus, Et iterum: Erunt duo in carne unâ, maſculus ſcilicet & fæminâ in carne unâ, & non tres aut plures. Theodorus Abucara Opuſculo 24. *Auctor mundi tunc, cum erat paucitas hominum, conjugium unius,* μονογαμεῖν, *ſancivit.* Et poſtea ex hac ipsâ causâ monogamiam ait ſanctiorem & honoratiorem eſſe polygamiâ, *quod à Deo ſit prælata,* ὡς Θεῷ προκριθεῖσαν. Theophylactus in Matth. 19. *Oſtendit* (Chriſtus) *opus & legislationem,* νομοθεσίαν, *ejus, qui nos à principio formavit, eſſe monogamiam. Ab initio enim unum conjunxit Deus uni.* Et iterum ad cap. 10. Marci: *Vide autem quid dicat, quod Deus noluit polygamiam, ut hæc relinqueretur & altera duceretur uxor; & iterum relinqueretur illa, & aſſumeretur alia. Nam ſi hoc eſſet, feciſſet Deus unum quidem virum, multas autem mulieres. Nunc autem non hoc fecit, ſed maſculum & fæminam fecit, unum uni copulari jubens.* Euthymius cap. 40. ad cap. 19. Matthæi: *Quid ergo ait* (Servator) *Num legiſtis, quod qui fecit ab initio, maſculum & fœminam fecit eos: hoc eſt, unum maſculum unamq; fæminam, ut unus unam haberet.* Et poſteà expendens verba illa: & erunt duo in carnem unam: *Scire autem oportet, quod in libro Geneſis apparet præſens verbum ipſius Adam eſſe prophetantis de uxore: ſed Chriſtus nunc docet, quod hoc Dei fuerit præceptum & non ipſius Adam prophetia, ut apparet. Nihil tamen vetat, quod id dixerit & Adam inductus à Deo, & rurſus etiam dixerit Deus loquutus per Adam. Ait ergo, quod etiam, dixerit Creator: Propter hoc videlicet, quia formata eſt uxor de latere viri ſui (nam & hoc ante prædictum*

PRÆCEPTUM ſcriptum eſt) relinquet homo patrem ſuum & matrem, eruntq; duo conjuncti in carnem unam propter conjunctionem unitatis ſive conjunctivam formam. Anshelmus Cantuarienſis ad cap. 19. Matthæi, conſiderans verba iſta, Maſculum & Fæminam fecit eos: *Non dicit fæminas, ſed fæminam, multiplicationem conjugii excludens & ad idem adhuc confirmandum dicit: Propter hoc quidem, id eſt, propter hanc unam conjunctionem, dimittens homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, non uxoribus: & erunt duo in carne unâ, non tres, id eſt, in carnali copulâ.* Innocentius III. in Extravag. de divortiis cap. Gaudemus: *Ab initio una coſta in unam fæminam eſt converſa, & Scriptura divina teſtatur, quod propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne unâ. Non dixit tres, vel plures, ſed, duo; nec dixit, adhærebit uxoribus, ſed uxori.* Jacobus de Vitriaco Domin. poſt Epiphaniam: *Per hoc, quod dicitur in Geneſi erunt duo in carne unâ, non tres ſcilicet, vel plures removetur vitium bigamiæ.* Johannes Cantacuzenus Apolog. 4. *Adam non dicit: Et erunt multæ mulieres cum viro in carne una, ſed duo, hoc eſt, vir & mulier. Una verò & plures inter ſe pugnant.*

XV. Non fuit tamen illa lex expreſſa ſeu propriè dicta, ac erat illa de non comedendo fructu unius arboris. Leges enim omnes propriè dictæ ita ſunt conceptæ, ut aut *jubeant* quid *diſertè* aut *probibeant.* Quod & Ariſtoteles docet lib. 5. Ethic. c. 3. iſtis verbis: τὰ μὲν κελεύων, τὰ δὲ ἀπαγορεύων (νόμος.) Et Chryſippus apud Marcianum: ὁ νόμος, inquit, ἐστὶ προστακτικὸς μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸς δὲ ὧν οὐ ποιητέον, *Lex oratio eſt jubens, quid faciendum, & prohibens contrarium.* Aſt verba iſta, *Erunt duo in unâ carne*, ita ſunt concepta, ut non jubeant quid expreſſè, ſed veluti vaticinium aliquod contineant ſive prædictionem de futuro.

Præterea

Præterà lex *vim* habet *cogendi*, ut iterum docet Philoſophus 10. Ethic. c. 10. Qua de causâ & comminatio legibus ſolet adnecti, ſicut & adnectebatur legi de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali. *De omni ligno horti*, dicebat Deus, *facio tibi comedendi poteſtatem, præterquam de arbore ſcientiæ boni & mali. De eâ haud quaquam comedes: nam quacunq; die ex eâ comedes, morte morieris*, Gen. II, 16, 17. Aſt ejusmodi comminatio non erat annexa iſti de connubio unius cum unâ inſtitutioni. Ideò oſtendit quidem Deus, dum inter unum virum & mulierem unam conjugium inſtituit, quid maximè ſibi placeret, & quomodo juxta voluntatem ſuam optimè in conjugio viveretur, legem tamen propriè hac de re tum nondum tulit. Unde & Ambroſius lib. 1. de Abraham c. 4. *Deus in paradiſo licet conjugium laudaverit, adulterium* (ita vocat polygamiam ob cauſam infra aſſignandam) *non damnavit. Non vult enim mortem peccatoris; ideo quod præmii eſt, pollicetur; quod pænæ, non exigitur; mavult enim mitibus provocare, quàm ſeverioribus terrere.* Auguſtinus quoque lib. 22. contra Fauſtum Manichæum c. 47. *Si præceptum conſulas, nullâ lege prohibebatur* (polygamia.) Nec aliter Eucherius de difficilioribus veteris & novi Teſtamenti quæſtionibus: *Tunc*, inquit, Patrum ſc. temporibus *nondum erat prohibitum*, plures videlicet ducere uxores. Theodoretus inſuper quæſt. 67. in Geneſin: *Neq; natura, neq; lex ulla tum ſcripta plures ducere uxores prohibebat*, nempe Abrahami ætate. Et quæſt. 85: *Ad hæc etiam illud advertendum eſt, tunc temporis* (Abrahæ ſeculo) *nondum datam eſſe ullam legem, quæ multiplices nuptias prohiberet.*

XVI. Dubium interim non eſt, quin ſemper MONOGAMIA obtinuiſſet, ſi homo in ſtatu integritatis permanſiſſet. Quin & poſt lapſum ſtetit ea in autoribus ge-

 neris

generis noſtri. Quia enim Adam intellexerat Dei voluntati eam maximè eſſe conformem, volebat ei ſe etiam tantò magis accommodare. Sed & Deus ipſe eum ſic conſtrinxerat: ut non niſi uni, videlicet Evæ ſuæ, ceu conjugi cohabitare poſſet, quod præter eam non eſſent aliæ fæminæ quàm ab ipsâ & Adamo oriundæ, quibus commiſceri ipſum pietas non permittebat. *Stetit lex*, ait iterum Tertullianus lib. de Monogamiâ c. 4. *deniq; perſeveravit unio conjugii in autoribus generis ad finem usq;, non quia non erant fæminæ aliæ, ſed quia ideo non erant, ne primitiæ generis duplici matrimonio contaminarentur. Alioqui ſi Deus voluiſſet eſſe, & potuiſſet. Certè de filiarum ſuarum numeroſitate ſumpſiſſet, non minus ex oſſe & ex carnibus ſuis habens Evam, ſi hoc piè fieret.* Veſtigiis Adami porrò hâc in parte inſtitere & filii ejus, qui & ipſi matrimonio unius fuere conjuncti, usque ad Lamechum, ex Caino oriundum, qui primus unam coſtam in duas diviſit. Sic enim de illo Moſes Gen. IV, 19. *Et Lamech duxit ſibi duas uxores Nomen unius erat Adah, & nomen alterius Silla.* Quæ verba Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum conſiderat & addit : ἐκ τότε ἀρχὴ ἐγένετο τῆς πολυμιξίας, *Eo demum tempore inolevit mos multas habendi uxores.* Induxit autem morem hunc non tàm, ut liberos plures procrearet, quàm ut libidinem ſuam expleret. Ex quo mulieribus his & nomina iſta contigiſſe putant Hebræi. Ajunt enim factum id ab eventu. Et *Adah* quidem nomen ſuum inde ſortitam, quod, *poſtquam gravida facta eſſet, cum eo non amplius conſvetudinem habuerit, atq; ita ab eo, donec perperiſſet, ſeparata, tanquam vidua ſola habitaverit.* Alteram vero, *Zillah*, nomen obtinuiſſe ab *umbra*- צל enim umbram ſignificat, *quod ſcilicet ſub umbrâ mariti*, hoc eſt, penes maritum *ſemper fuerit, utpote quâ maritus non ad liberos*

beros procreandos, ſed ad ſatisfaciendum carnis deſideriis fuerit uſus. Quod factum Lamechi veriſimile eſt fuiſſe imitatos & alios ex Caini progenie oriundos. Ex quo Salomon Jarchi ad Jobi c. XXIV, 21. *Ad hunc modum ſe habuit mos ſub diluvii tempora, ut alteram haberent uxorem prolis gratiâ, alteram verò ad concubitum. Ea autem, quæ ad concubitum duntaxat ducebatur, ſterilitatis exhaurire ſolebat poculum, ut ſterilis redderetur. Ornata etiam, velut nova nupta, lautiores comedebat dapes. Acerbius autem ac durius tractabatur ſocia ejus, ſeu altera, & lugebat, velut vidua. Atq; hoc eſt, quod intelligitur apud Jobum* (24, 21.) *ubi ait: Parit ſterilem, quæ non peperit, ſed viduæ benè non fecit.* Idem habetur & in Bereſcith Rabba, ubi Rabba Uriah ex R. Juda Bar Simon Paraſch. 23. *Sub diluvium mos erat, ut pro lubitu binas ſibi quisq; duceret uxores, alteram prolis gratiam, alteram in concubitum. Ea autem, quæ prolis gratiâ haberetur, velut viduam, quàmdiu ſuperſtes eſſet, degebat. Sed ea, quæ in concubitum adhiberetur, ſterilitatis exhaurire ſolebat poculum, ut ſterilis redderetur, atq; juxta virum accumbere ſolita velut meretricio ornabatur habitu. Atq; idem innuitur verbis illis? Parit ſterilem* &c.

XVII. Et hinc paſſim ab antiquis Eccleſiæ Doctoribus ex duplici capite reprehenditur Lamech, nempe cùm ideò, quod primus autoritate propriâ plures duxerit uxores: tùm quod non prolis procreandæ id causâ fecerit, ſed ad carnis voluptatem exſatiandam. *Semel tamen* inquit Tertullianus lib. de Monogamiâ c. 4. *vim paſſa, inſtitutio Dei per Lamech, conſtitit poſteà in finem usq; gentis illius. Secundus Lamech nullus extitit, quomodo duabus maritatus. Negat Scriptura,* (ſubintellige in re tanti momenti) *quod non notat.* Et lib. de exhortat. caſtitatis c. 5. *Numerus matrimonii à maledicto viro cœpit. Primus Lamech*

duabus maritatus, tres in unam carnem effecit. Et Hieronymus lib. 1. adverſus Jovinianum: *Una coſta à principio in unam uxorem verſa eſt. Primus Lamech ſanguinarius & homicida unam carnem diviſit in duas uxores: fratricidium & digamiam eadem cataclyſmi delevit pœna.* Et Epiſt. 9. ad Salvianum: *Primus Lamech maledictus & ſanguinarius, & de Cain ſtirpe deſcendens unam coſtam diviſit in duas, & plantarium bigamiæ protinus diluvii pœna ſubvertit.* Rurſus Epiſt. 11 ad Ageruchiam: *Sit una Eva, mater cunctorum viventium, & una Eccleſia, parens omnium Chriſtianorum. Sicut illam maledictus Lamech in duas diviſit uxores, ſic hanc hæretici in plures Eccleſias lacerant.* Iſidorus Hiſpalenſis lib.2. de Eccl. Officiis c. 19. repetit verba Tertulliani citata ex lib. de exhortat caſtitatis c. 5. Ex eodem inſuper & hæc verba citat Beda, nec non Strabus Fuldenſis Gloſſæ ordinariæ Auctor ad cap. 4. Geneſ. *Notandum, quod generationes ab Adamo per Cain undenario terminantur, in quo transgreßio ſignatur. Lamech namq; ſeptimus eſt, cui tres filii & una filia adduntur, ut undenarius impleatur, per quæ peccatum ſignificatur: nam & à fœminâ claudatur generatio, quæ initium peccati fuit, per quod voluptas carnis, quæ reſiſtit Spiritui. Unde noema vocatur, id eſt, voluptas. In hac progenie Lamech primus contra mores, contra naturam per bigamiam adulterium commiſit.* Pariter & Gloſſa interlinearis. Sic enim illa: *Lamech primus contra naturam & morem adulterium committens.* Nicolaus I. citatus cauſa 24. q. 3. *Annon diſtrictâ ultione feriendus eſt, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech & flagitium imitatus eſt, dignoſcens, quod Dominus nonniſi poſt 77 generationes ſuo ſalutifero adventu delevit, cum Cain fratricidium ſeptimâ generatione aquis abolitum ſit cataclyſmi,* id eſt, diluvii? Propriè adulterium eſt violatio alterius tori; torum autem ſoluta

luta non habet. Inde adulterium accurate loquendo non committitur, niſi cum alterius conjuge, quæ & ſola alienam prolem, quod fit, in adulterio propriè dicto, ſubſtituere poteſt, quod facere haud poteſt ſoluta. Unde & Modeſtinus L. Stuprum ad L. Juliam de Adult. *Adulterium IN NUPTA admittitur; ſtuprum in viduâ & virgine, vel puero committitur.* Et Papinianus l. 1. de adulteris L. inter lib. ad L. Juliam de Adult. *Adulterium propriè in nuptâ committitur propter partum ex altero conceptum compoſito nomine.* Patres tamen adulterium promiſcuè vocant omnem minus legitimam eorum, qui in matrimonio degunt cum aliis, permixtionem. Quanquam & gentiles nonnunquam Scriptores adulterium etiam de Virgine vel vidua accipiant, ſed impropriè, veluti Ovidius Hypſiphylæ quum ait:

Turpiter illa virum cognovit adultera virgo.

Turpiter, inquit, hoc eſt, ſtupro: quod virgo: adultera autem propter virum alterius. Extra controverſiam ergò ponunt prædicti Patres, quod illegitimè contra divinam ſanctionem ad ſecunda vota tranſierit Lamech. Quibus adſtipulatur etiam Jacobus de Vitriaco Dom. poſt Epiphaniam ſcribens: *Vitium bigamiæ primò Lamech contra Deum legitur introduxiſſe, & reputatum eſt ei ad culpam, quia plures habuit propter explendam libidinem.*

XIIX. Quod autem ex recentioribus aliqui putant Lamechi polygamiam Deo haud diſplicuiſſe, utpote ex qua naſci voluerit filios ingenioſiſſimos utiliumque artium inventores, id quidem exigui ſanè eſt momenti. Dona enim illa, quæ filiis Lamechi conceſſit Deus, ex illis fuerunt, quæ etiam impiis hominibus pro ſingulari ſua liberaliter tribuere ſolet bonitate. Et quantumvis etiam de cætero iſti Deo grati fuiſſent, inde tamen non conſequitur

quitur placuiſſe Deo polygamiam patris, niſi fortè ſimili argumento quis colligere velit arriſiſſe eidem & ſcortationem Gilead, quod ex ſcorto ſuſceperit Jephtam, heroem & fide & multis aliis virtutibus inſignem Jud. XI, 1. Nec obſtat, quod apertè polygamia iſta non legatur in Scripturis reprehenſa. Nam nec filiarum Lothi cum Patre concubitum reprehenſum legimus, nec αὐτοχειρίαν Saulis, & alia multa, quæ tamen nemo idcircò probâvit. Rectius judicarunt de connubio iſto pii viri, *è familiâ Seth* oriundi, interque eos & NOE. Nempe intellexit ille Deo matrimonium iſtud haud placuiſſe, ideoque majorum ſuorum veſtigiis inſiſtens non niſi unam matrimonio ſibi junxit, idemque ut & ipſi facerent, filiis ſuis auctor fuit. Dicitur enim Gen. VII, 8. arcam ingreſſus cum filiis ſuis & uxore, nec non uxoribus filiorum ſuorum. Habebat autem jam tum, cum arcam ingrederetur, tres filios, *Sem*, *Cham* & *Japheth*, ceu patet ex Gen. V. 32. at Petrus apertè ſcribit in arcâ illâ *octo* tantum animas fuiſſe ſervatas I. Epiſt. III, 20. Et quo minus Noë dubitaret inſtitutum hoc ipſius conſilium arridere Deo, juſſit ille, & de animalibus reliquis in arcam non niſi bina induci. *Ex omni*, ajebat Gen. VI, 19. 20, *animanti omniq; carne bina de ſingulis introduces in arcam, ut viva ſerventur tecum: mas autem & fæmina erunt. De volucri quoq; juxta ſpeciem ſuam & de omni reptili terræ juxta ſpeciem ſuam bina ex omnibus venient ad te, ut conſerventur.* Quod conſiderans rurſum Tertullianus lib. de Monogamiâ c. 4. *Sed & reformatio*, inquit, *ſecundi generis humani Monogamia matre cenſetur. Iterum duo in unam carnem creſcere & redundare ſuſcipiunt. Noë & uxor filiiq; eorum in unicis nuptiis. Etiam in ipſis animalibus monogamia recognoſcitur, ne vel beſtiæ de mœchia naſcerentur. Ex omnibus*, inquit, *beſtiis, ex omni carne duo induces in arcam, ut*

vivant

vivant tecum; maſculus & fæmina erunt de animalibus volatilibus ſecundum genus, & de omnibus ſerpentibus terræ ſecundum genus ipſorum. Duo ex omnibus introibunt ad te maſculus & fœmina. Eâdem formâ & ſeptem ex binis adlegi mandat ex maſculo & fœminâ, uno & una. Quid amplius dicam? Immundis quoq; alitibus cum binis fæminis introire non licuit. Et Hieronymus Epiſt. ad Ageruchiam: *Sed & in arcam, quam Petrus Apoſtolus ſub typo interpretatur Eccleſiæ, Noë cum tribus filiis ſingulas, non binas uxores introduxit. Etiam de immundis animalibus bina ſumuntur, maſculus & fæmina; ut ne in beſtiis quidem ſerpentibusq;, crocodilis ac lacertis digamia habeat locum. Quod ſi de mundis ſeptena ponuntur, id eſt, imparia & in hac virginitatis ac pudicitiæ palma monſtratur: Egreſſus enim de arcâ Noë Deo victimas immolavit: utiq; non de pari ſed de impari numero, quia alterum fœtibus atq; conjugio, alterum ſacrificio præparatum eſt.*

XIX. POST DILUVIUM autem Deus connubium viri unius cum pluribus fæminis conceſſit, dummodo non ad voluptatem carnis exſaturandam, ſed propagandam ſobolem eſſet directum. *Cujus quidem rei rationem habuit non unam. Cum enim* natura hominum planè ab origine ſuâ degeneraſſet ac pronior ad malum pravis exemplis facta fuiſſet ac fuerat ante, accommodare ſe voluit hominum infirmitati, indeque & talia indulſit, quæ primæ inſtitutioni haud erant conformia, dummodò à naturâ hominis rectâque ratione non omninò abirent, quemadmodum tolerare aliqua in ætate infirmiori ſolemus, quæ in ætate provectiori ſeu maturiori haud tolerare ſolemus. *Præterea* vacua erat terra & orba natis ſuis facta per diluvium, nec tot amplius homines impleturi erant annos atque ante inundationem ſeculi erat factum,

quod infirmior eſſet hominum natura, neque parum terræ bonitas ac fœcunditas per diluvium imminuta eſſet, ut tam forte & ſucci plenum atque temperamento hominis aptum ac ante illi præſtare non poſſet alimentum. His de cauſis ſanè ***animalium eſus*** homini poſt diluvium fuit conceſſus Gen. IX, 3. cum antehac fructus solùm & herbæ alimento ejus eſſent deſtinati Gen. I, 29. & c. III, 8. Nec ***vinum*** ſanctis hominibus legimus ante diluvium fuiſſe in uſu. Ceſſante autem illo Noam & vineam plantaſſe legimus fructuque ejus uſum, Gen. IX, 21. Quâ de re Tertullianus lib. de Jejunio c. 4. *In primordio quidem herbidum ſolummodo & arboreum homini pabulum addixerat: Ecce dedi vobis omne fænum ſementinum ſeminans ſemeu, quod eſt ſuper terram; & omne lignum, quod habet in ſemetipſo fructum ſeminis, ſementivi vobis erit in eſcam. Poſtea verò Noë enumeratâ omni ſubjectione omnium beſtiarum terræ & volatilium cœli & moventium in terrâ & piſcium maris & omnis viventis: Erunt vobis, inquit, in eſcam: velut olera fœni dedi vobis univerſa.* Ita & Origenes homil. I. in Geneſ. I. *Hiſtoriæ quidem hujus ſententia manifeſtè indicat uſum ciborum primitus à Deo ex herbis, id eſt, oleribus & arborum fructibus eſſe permiſſum. Poſtremò verò cum ad Noë poſt diluvium fieret teſtamentum, facultas veſcendarum carnium hominibus datur.* His conſentit & Baſilius Magnus Homiliâ I. de jejunio: *Non erat*, inquit, *in Paradiſo vinum, non erat pecudum mactatio, non carnium eſus. Poſt diluvium cœpit vinum: poſt diluvium demum dixit Deus: Edite omnia, ſicut olera pabuli. Poſteaquam deſperata eſt perfectio, tunc deniq; conceſſa eſt fruitio.* Pariter & Gregorius Nyſſenus Orat. 2. de hominis procreatione: *Nobis & beſtiis & volucribus dati ſunt fructus & herbæ ad veſcendum. — Sed cum homo receſſiſſet à mandato & extra Paradiſum vitam ageret,*

poſt

poſt diluvium videns homines Dominus contumaces, conceſſit eis, ut omnibus veſcerentur: Omne, quod movetur, inquit, & vivit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis ea. Hieronymus quoq; lib. 1. adverſus Jovinianum cap. 10. *Sciat* (Jovinianus) *eſum carnium usq; ad diluvium ignotum fuiſſe, poſt diluvium verò, quaſi in eremo murmuranti populo coturnices, ita dentibus noſtris nervos & virulentias carnis ingeſtas* Et lib. 2. c. 10. *Ejectus è Paradiſo* (homo) *non protinus accepit licentiam carnium veſcendarum, ſed tantum poma arborum & fruges ſegetum & herbarum olera ei traduntur in cibum: ut exul quoq; Paradiſi non carnibus, quæ in Paradiſo non erant, ſed ſimilitudine frugum Paradiſi veſceretur. Poſteà verò videns Deus, quod diligenter appoſitum eſſet ad malitiam cor hominis ab adoleſcentiâ, & Spiritus ejus in his, permanere non poßit, quia erant caro, opera carnis diluvio condemnavit, & avidißimam hominum gulam probans dedit eis licentiam comedendarum carnium, ut dum ſibi intelligunt licere omnia, non deſiderent magnopere, quod licebat; ne mandatum in cauſam verterent prævaricationis.* Theodoretus Quæſt. 55. in Geneſin: *Mox ubi creaſſet hominem Deus dedit illi terræ fructus jubens illum veſci fructu ſeminum & arborum: poſt diluvium autem majores illi delicias munificè largitur jubens occidere & comedere volatilia & natatilia & terreſtria animalia affectum affectu repellens & leviori curans graviorem.* Iſidorus Hiſpalenſis lib 1. de Eccl. Offic. c. 44. *Carnes & vinum poſt diluvinm hominibus in uſum conceſſa ſunt: nam initiò permiſſum non fuerat, niſi tantum illud, ut ſcriptum eſt, Lignum fructiferum & herbam ſeminalem dedit vobis in eſcam. Poſteà verò per Noë data ſunt in eſum cuncta animalia, vini quoq; tunc attributa licentia eſt.* Strabus in Gloßâ ordinariâ ad caput nonum Geneſeos: *Eſus carnium poſt diluvium videtur conceſſus hominibus propter infœcunditatem terræ & ho-*

minis fragilitatem. Denique & Rupertus lib. 4. in Geneſin c. 30. *Juxta literam ferè eadem hæc in primis hominibus, Adam & uxore ejus dicta fuerunt: Creſcite & multiplicamini &c. Sed hic additum eſt ex largitate Dei dicentis: Omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt; & omne, quod movetur & vivit, erit vobis in cibum. Attamen felici adhuc & infirmitatis experti homini tenuis illa virtus ſufficientior extitit, quas infirmo nunc & moribundo carnium ejus eſſe posſit. EX SIMILIBUS ERGO CAUSIS & connubium cum pluribus fæminis viris Deus conceſſit,* ut & infirmitati hominum eò magis conſuleret, & genus ſuum illi eò melius propagarent. *Ut opinor,* ait Tertullianus de exhortat. ad caſtitatem c. 6. *& unius & ejusdem Dei utraq; pronuntiatio & diſpoſitio eſt, qui tum quidem in primordio ſementem generis emiſit indultis conjugiorum habenis donec mundus repleretur, donec novæ diſciplinæ materia proficeret.* Et Chryſoſtomus homiliâ 56. in Geneſin: *Tunc* (poſt diluvium) *quia principia erant, permiſſum fuit cum duabus, vel tribus, vel pluribus uxoribus miſceri, ut humanum genus propagaret.* Quibus conſentit & Theodoretus in epitome decretorum divinorum c. 25. ſcribens: Διά τοῦτο καὶ πλείους ἔχειν γυναῖκας τοὺς παλαιοὺς οὐκ ἐκώλυσεν, ἵνα αὐξηθῇ τῶν ἀνθρώπων τὸ γένος, *propterea veteres plures uxores habere non vetuit, ut genus humanum augeretur.*

XX. Atque hinc & nihil in præceptis, quæ vocant, Noachi de monogamiâ reperitur. Quæ illa fuerint, in Gemarâ Babylonicâ ad tit. Sanhedrin c. 7. fol. 56. docetur his verbis: *Traditur à Rabbinis, ſeptem præcepta imperata eſſe Noachidis; de Judiciis, de Maledictione Numinis, de Cultu extraneo, de Revelatione turpitudinum, de ſanguinis effuſione, de Rapinâ ſ. furto, de Membro animalis viventis. Etiam ex ſententiâ Rabbi Chanina Ben Gamaliel de ſanguine.*

Et

Et in Bereſchit Rabba Paraſch. 34. hæc leguntur: *De ſeptem rebus mandata acceperunt Noachidæ, de Cultu extraneo, de Revelatione Turpitudinum, de Homicidio, de Maledictione Numinis divini, de Judicio, de Rapinâ ſ. Furto, de Membro animalis viventis. Rabbi Chanina, Filius Gamalielis dixit etiam de Sanguine animalis viventis.* His gemina habet & R. Maimonides Halach. Malakim c. 9. Sic enim ille: *De rebus ſex mandata accepit Adam ſ. primus homo, de Cultu extraneo, de Maledictione Numinis, de Homicidio, de Revelatione Turpitudinum: de Rapinâ ſ. furto & de judiciis; tametſi hæc cuncta apud nos ſint recepta à Moſe Magiſtro noſtro, atq; ejusmodi ſint, ut ſententia humana in ea præ cæteris, quæ legis corpore habentur, pronius inclinet. Liquet etiam præter hæc Noacho mandatum traditum eſſe de Membro animalis viventis, juxta illud: Carnem in animâ ſuâ ſanguine ſuo non comedetis. Ita fiunt ſeptem præcepta. Atq; ad hunc modum ſe res habuit per univerſum terrarum orbem uſq; in Abrahæ tempora.* Per turpitudinem autem in præceptis iſtis inceſtum intelligi non obſcurè indicat R. Jehura Ben Samuel in Sepher Cozri parte 3. §. 73. quum ait: Cum auditur comma illud: *Et præcepit Dominus Deus ipſi Adam dicens &c. ſignum eſt ſeu indicatio ſeptem præceptorum, quæ Noachitis imperata ſunt. Et PRÆCEPIT ſic denotat judicia ſive præceptum de judiciis (quoniam in iis præceptio eſt atq; imperium) DOMINUS, præceptum de non maledicendo Nomini ſ. Numini ſanctiſſimo; DEUS,* interdictum cultus extranei ſive idololatriæ; IPSI *ADÆ ſ. HOMINI interdictum Homicidii; DICENS, interdictum inceſtus (quia ſcilicet, dicit Dominus alibi, Jerem. 3,1. increpationi de ſcortatione ſubjungitur) DE OMNI LIGNO HORTI, furtum (quia bona quædam vocabulis illis etiam denotantur) COMEDENDO COMEDES, membrum animalis viventis.*

ventis. Sed multum diſcrepat comma hoc à rebus hiſce. Attamen habetur vulgo Cabala ſeu Traditio de ſeptem jam dictis præceptis perinde ac ſi ipſe hoc commate ſubniteretur, quod in faciliorem eorum memoriam ut ſignum adhiberi ſolet ac ſubſidium. In Gemarâ Babylonicâautem ad tit. Sanhedrim c.7. hoc nomine interdictum fuiſſe dicunt homini *coitum* cum ſex hiſce, *cum matre ſuâ; cum uxore patris ſ. novercâ: cum uxore alienâ: cum ſorore ex matre ſuâ ſ. uterinâ: cum maſculo: cum beſtiâ.* R. Maimonides denique ad Halach Iſhoth. c.1. *Turpitudines* nuncupari ait *concubitus omnes, qui interdicuntur in lege, adjectâ excisionis pœnâ*, quæ ſcilicet memorantur Levitici capite decimo octavo. Aſt illic non interdicitur indiſcretè concubitus cum pluribus fæminis, ſed certis ſolum quibusdam.

XXI. Imprimis verò & Patriarchis Polygamiam Deus permiſit. Promiſerat enim Abrahamo, fore, longè lateque ſe diffunderet genus ipſius. *Non vocabitur*, ajebat illi Gen. XVII, 5, 6, *ultra nomen tuum Abram: quin potius Abraham erit nomen tuum, quoniam te patrem multis gentibus conſtitui. Ego creſcere te faciam vehementiſſime ponamq; te in gentes, ſed & Reges ex te prodibunt.* Et c. XXII, 17: *Benedicam tibi & multiplicabo vehementer ſemen tuum, quemadmodum ſtellas cæli & arenam, quæ eſt in littore maris.* Jam ſterilis erat Sara, neque ſpes ei ſupererat fore, ut fœcunda redderetur. Jam enim *emortuus erat uterus ejus*, Rom. IV, 19. Inde ipſamet auctor erat marito, ut ancillæ Ægyptiæ, quam habebat, Hagar ſcilicet, cohabitaret, atque tentaret, num forte ex illâ filios ſuſcipere poſſet. *En amabo*, dicebat Gen. XVI, 2, *conſtrinxit me Dominus, ne parerem, ingredere, quæſo, ad ancillam meam, ſi forte ex eâ ædificer.* Et ſubdit Moſes: *Obediit autem Abram voci Sarai.* Cujus exemplum imitatus & nepos ejus

ejus, Jacobus, qui & ipſe plures fœminas ſibi matrimonio junxit. Non fugit quidem nos, Euthymium in cap. 8. Johannis exiſtimare Hagar non fuiſſe *uxorem* Abrahæ, ſed *pellicem*. Verba enim illa Judæorum ex prædicto capite 8. Johannis ℣. 41: *Nos è ſtupro non ſumus nati*, ita interpretatur, ac ſi Judæi dicere voluiſſent: Nos non ſumus filii Agar ex Ismaële ejus filio & Agarenis ejus poſteris prognati, ſed filii Saræ, genuinæ conjugis Abrahami. Sic enim ille: *Quod autem dicunt Judæi: Nos è ſtupro nati non ſumus intelligitur propter gentes, quæ ab Iſmaël deſcendebant, qui ex ſervili congreſſu Abrahæ, ex Agar videlicet ancillâ natus erat, quum ipſi ab Iſaac deſcenderent, qui ex legitimo matrimonio, ex Sarâ, Dominâ ipſius Agar, erat progenitus.* Verum quis ſibi perſvaſerit virum tam ſanctum, quem Judith cap. 8, 22. vocat *Amicum Dei*, Apoſtolus autem *Patrem omnium credentium*, Rom. IV, 16. ſcortationi deditum fuiſſe, quæ extra controverſiam *opus carnis* eſt, hominem *excludens è regno cœlorum* Gal. V, 19. I. Cor. VI, 9. Quô accedit, quod Scriptura apertè teſtetur, Saram Hagar, ancillam ſuam, dediſſe Abrahamo marito ſuo *uxorem* Gen. XVI, 30. Pariter & de *Rahele* dicitur, quod *Bilham*, & de *Lea*, quod *Silpam*, ancillas ſuas, *uxores* dederint marito ſuo Jacobo Gen. XXX, 4 & 9. Fieri autem hoc non fuiſſent paſſi, niſi antè, absque dubio ex revelatione aliquâ, alicui ex Patriarchis poſt diluvium ſecretò factâ, atque inde ad alios communi traditione derivatâ, tale quid ſuſcipiendæ prolis ergò facere tunc licere didiciſſent. Unde & Trypho apud Juſtinum in Dialogo illud vocat *jus antiquum*. Joſephus autem lib. 17. Antiquitatum c. 1. *morem patrium*, procul dubio & juxta ipſius opinionem traditum atque ad alias perductum.

XXII. Atque hinc, quamvis Polygami non minus ac

Lamech

Lamech fuerint hi Patriarchæ, non exiguum tamen de cætero inter illum & hos eſt diſcrimen. Ille enim proprio conſilio contra morem receptum plures, cum nondum data ulli à Deo eſſet ejus rei licentia, fæminas matrimonio ſibi conduxit: hi autem ſvaſu, rogatu atq; impulſu propriarum ſuarum uxorum, cum permiſſa eſſet ejus poteſtas, uſuque ut plures ducerentur maximè receptum eſſet. Ille libidinis explendæ ergò id fecit: hi procreandæ piæ prolis deſiderio, ut plures eſſent Dei cultores, qui fidem & religionem veram tuerentur & propagarent, præſertim incrementa in dies majora ſumente idololatriâ, quæ nondum obtinuerat antè. Ex quo & polygamiam horum Deus typum futurorum eſſe voluit. Omnia enim iis in figura contigerunt, ut docet Apoſtolus I.Cor. X, 6. indeque ſub nube ibidem eos ait fuiſſe, *quod omnia, quæ geſta ſunt, in figuram noſtri facta ſint*, ut ait Ambroſius in Comment. ad iſtum locum. Adumbrarunt autem myſteria non ſolùm verbis, ſed & factis, quemadmodum iterum obſervat Ambroſius lib. de Patriarchâ Joſeph. c. 14. cum ſcribit: *Geſta Patriarcharum futurorum myſteria ſunt.* Et ſanè Apoſtolus ipſe Gal. IV, 22. bigamiam Abrahæ diſertè typum ait eſſe ejus, quod futurum erat. *Scriptum eſt*, inquit, *Abrahamum duos filios habuiſſe: unum ex ancillâ, & unum ex liberâ.* Et ſubdit ℣. 24. Ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα, *Hæc per allegoriam ſunt dicta.* Sunt ἀλληγορούμενα, inquit, id eſt, *figuram rei majoris continent*, ut hîc exponit Chryſoſtomus. Ἀλληγορέω enim eſt, quaſi ἄλλο ἀγορεύω, *aliud verbis ſignifico*, ſive aliud verbis, aliud ſenſu oſtendo. Quo ſenſu apud Syneſium quoque ἀλληγορεῖν τὸν μῦθον idem eſt, quod *alium fabulæ ſenſum afferre quàm qui ſub verbis apparet.* Et Euſtathius: Σημείωσαι, inquit, ὅτι τὸν θυμὸν ὁ κύκλωψ ἀλληγορεῖται, *Per Cyclopem iracundia allegoricè ſignificatur.* Denique

Quinti-

Quintilianus lib. 8. c. 6. Ἀλληγορία, ait, *aliud verbo, aliud ſenſu oſtendit. Illa eſt, quam, tribuit nobis Apoſtoli Pauli auctoritas*, ſcribit iterum Ambroſius lib. 1. de Abraham c. 4. qui ait: *illa quæ geſſit Abraham, ut de ancillâ ſuſciperet ſobolem, in figurâ facta ſunt & ſecundum allegoriam dicta. Allegoria enim eſt, cum aliud geritur, & aliud figuratur.* Quid autem figuratum fuerit per Agar & Saram, mox ibidem exponit Apoſtolus, nempe *Vetus* & *Novum Teſtamentum, Synagoga* & *Eccleſia*.

XXIII. Obſervant hæc iterum Patres paſſim atque hinc, bigamiâ Lamechi reprehensâ, Abrahæ reliquorumque Patriarcharum iteratas nuptias vindicatum eunt, gemina per omnia his, quæ nos adduximus, urgentes. Et Juſtinus quidem in Dialogo cum Tryphone οἰκονομίαν fuiſſe ait polygamiam ſanctorum Patriarcharum, ſecundum quam per illos peracta fuerint myſteria. Οἰκονομίαι τινες, inquit, μεγάλων μυστηρίων ἐν ἑκάστῃ τινὶ τοιαύτῃ πράξει ἀπετελοῦντο, *Magnorum ſacramentorum Oeconomiæ & diſpoſitiones in quolibet ejus generis facto ſunt celebratæ.* Idque mox declarat exemplo conjugiorum Jacobi. *Connubia*, inquit, *Jacobi, rei per Chriſtum perficiendæ figura erant.— Lea enim populus veſter* (Judaicus) *eſt & Synagoga; Rachel Eccleſia noſtra. Ac Chriſtus huc usq; etiam harum & quæ utriusq; ſunt ſervarum gratiâ ſervit.* Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum eousque progreditur, ut dicat exegiſſe Deum à Patriarchis polygamiam, quod multiplicare genus ipſorum, idque procreatione, conſtituiſſet. Τότε, inquit, ἀπῄτει ὁ Θεὸς, ὅτε αὐξάνεσθαι καὶ πληθύνειν ἐχρῆν, *Tunc id exigebat Deus, quando oportebat augeri & multiplicari.* Tertullianus in Exhortatione ad caſtitatem c. 6. *Sed & benedicti*, inquit, *Patriarchæ pluribus uxoribus conjugia miſcuerunt. Ergò propterea nobis quoq; licebit innumerum nubere. Sanè licebit, ſi adhuc*

I typi

typi futuri alicujus ſacramenti ſuperſunt, quos nuptiæ tuæ figurent; vel ſi etiam nunc locus eſt vocis illius, Creſcite & multiplicamini, id eſt, ſi nondum alia vox ſupervenit, tempus in collecto eſſe. Idem de unis Nuptiis ad uxorem c. 2. *Sanè apud veteres noſtros, ipſoſque Patriarchas, non modo nubere, ſed etiam plurifariam uti matrimoniis fas fuit.* Ambroſius lib. 1. de Abraham c. 4. *Movere aliquos poſſet, quomodo Abraham, vir tam carus & familiaris Deo, ingreſſus ſit ad ancillam. Sed conſideremus primum, quod Abraham ante legem Moſis & ante Evangelium fuit, nondum interdictum adulterium* (ita vocat polygamiam) *videbatur. Pœna criminis ex tempore legis eſt, quæ crimen inhibuit: nec ante legem ulla rei damnatio eſt, ſed ex lege. Non ergò in legem commiſit Abram, ſed legem prævenit. -- Habes unam Abrahæ defenſionem. Secunda illa eſt. Non ardore aliquo vagæ ſuccenſus libidinis: non petulantis formæ captus decore, ancillæ contubernio conjugalem poſthabuit torum: ſed ſtudium quærendæ poſteritatis & propagandæ ſobolis. Adhuc poſt diluvium raritas erat humani generis: erat etiam religionis, ne quis non reddidiſſe debitum videretur naturæ. Nec ocioſum eſt, quod uxor auctor facti inducitur, ut excuſetur maritus, ne vago raptus errore credatur.* Chryſoſtomus homil. 56. in Matthæum: *Non eſt judicandum de Patribus pro noſtrâ ratione. Tunc enim licebat polygamum eſſe.* Hieronymus Epiſt. 3. ad Oceanum: *Sciebat Paulus Apoſtolus lege conceſſum, & exemplo Patriarcharum familiare fuiſſe populo Hebræo noverat,*

verat, in multis uxoribus liberos ſpargere. Auguſtinus lib. 3. de doctrinâ Chriſtianâ c. 12: *Regno terreno veteres juſti cœleſte regnum imaginabantur, & prænuntiabant. Sufficiendæ prolis causâ erat uxorum plurium ſimul uni viro habendarum inculpabilis conſvetudo: & ideo unam fæminam maritos habere plurimos honeſtum non erat: Non enim mulier eo eſt fæcundior, ſed meretricia potius turpitudo eſt, vel quæſtum vel liberos vulgo quærere. In hujuscemodi autem moribus quicquid illorum temporum ſancti non libidinosè faciebant, quamvis ea facerent, quæ hoc tempore niſi per libidinem non poſſunt, non culpat Scriptura. Et quicquid ibi tale narratur, non ſolum hiſtoricè ac propriè, ſed etiam figuratè ac propheticè acceptum interpretandum eſt usq; in finem illum caritatis ſive Dei, ſive proximi, ſive utriusq;.* Et lib. 16. de Civit. Dei c. 25. *Nullo modo de conjugio cum Agar ancilla inurendum eſt crimen Abræ. Vſus quippe ea eſt ad generandam prolem, non ad explendam libidinem, nec inſultans, ſed potius obediens conjugi, quæ ſuæ ſterilitati credidit eſſe ſolatium, ſi fæcundum ancillæ uterum, quoniam natura non poterat, voluntate faceret ſuam, & eo jure, quo dicit Apoſtolus: Similiter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier: uteretur mulier ad pariendum ex altera, quod non poterat ex ſeipsâ. Nulla eſt hìc cupido laſciviæ: nulla nequitiæ turpitudo: ab uxore causâ prolis, ancilla marito traditur; à marito, causâ prolis accipitur: ab utroque non culpæ luxus, ſed naturæ fructus exquiritur. Deniq; cum ancilla gravida Dominæ ſterili ſuperbiret, & hoc Sara ſuſpicione muliebri viro po-*

tius imputaret: etiam ibi demonſtravit Abram non ſe amatorem ſervum, ſed liberum fuiſſe genitorem: & in Agar-Saræ conjugi pudicitiam cuſtodiſſe: nec voluptatem ſuam, ſed voluntatem illius impleviſſe; accepiſſe, non petiiſſe: acceſſiſſe, non hæſiſſe: ſeminaſſe, non amaſſe. Ait enim: Ecce ancilla tua in manibus tuis, utere eâ, quomodo tibi placuerit. O virum viriliter utentem fœminis, conjuge temperanter, ancillâ obtemperanter, nulla intemperanter. Rurſum lib. 1. de nupt. & concupiſcentia c. 8. *Patres ſanctos ex Abraham, & ante Abraham, quibus Deus, quod ei placuerint, perhibet teſtimonium, uſos fuiſſe conjugibus neminem oportet dubitare Chriſtianum, quoniam quibusdam etiam ſingulis plures habere conceſſum eſt; ubi ratio fuit prolis multiplicandæ, non variandæ appetitio voluptatis.* Et ſubſequente c. 9. *Veruntamen magis pertinere ad nuptiarum bonum, non unum & multas, ſed unum & unam, ſatis indicat ipſa prima divinitus facta, conjugii copula, ut inde connubia ſumerent initium, ubi honeſtius attenderetur exemplum. Progrediente autem genere humano junctæ ſunt quibusdam bonis viris bonæ fœminæ, ſingulis plures. Unde apparet & illud dignitatis magis appetiiſſe modeſtiam, & hoc fœcunditatis permiſiſſe naturam.* Et lib. 22. contra Fauſtum Manichæum c. 47. *Jam verò filio ejus Jacob quod pro ingenti crimine 4. objiciuntur* (à Manichæis) *uxores, generali prælocutione purgatur. Quando enim mos erat, crimen non erat: & nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt. Alia enim ſunt peccata contra naturam, alia*

con-

contra mores, alia contra præcepta. Quæ cum ita ſint, quid tandem criminis eſt, quod de pluribus ſimul habitis uxoribus objicitur ſancto viro Jacob? Si naturam conſulas, non laſciviendi, ſed gignendi causâ illis mulieribus utebatur. Si morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nullâ lege prohibebatur. Eucherius Lugdunenſis de quæſt. difficil. V. & N.T. in Geneſin. *Quid his reſpondendum eſt, qui ob uxores multas incontinentiam Patribus vel Patriarchis noſtris objciendam putant? Primùm, quod tunc nondum lege prohibitum: quia conſvetudo erat, crimen eſſe non poterat. Deinde quod illa tunc, vel pro loco, vel pro tempore non improbabilia apud Deum fuerint. Pro loco, ſicut & in unâ domo in altero angulo aliquid fieri à quolibet Domino præcipitur, quod in alio nequaquam fieri permittitur, pro tempore, quod rudi adhuc ſeculo præceptum fuerit: Creſcite & multiplicamini. -- Neceſſe eſt poſtremò, quod in his ex voluntate Domini ſub ſpecie geſtorum præſentium fieret quædam prænuntiatio futurorum.* Proſper Aquitanicus parte 1. de prædictionibus Dei c. 25. *Duodecim filios, quos duodecim Patriarchas Scriptura teſtatur, ex ſuis fæminis ſuſcepit Jacob, non quod liberet ſanctos viros plurimas habere mulieres concupiſcentiæ ſcilicet causâ, ſed quod gratia multiplicandæ prolis daret Deus licentiam, qui & unam permiſit & poſteà aliquando prohibuit.* Iſidorus Peluſiota lib. 2. Epiſt. 274. *Quod duo Patriarchæ plures uxores habuerint, non à ſegnitie, aut libidinis ſtudio profectum eſt, verum à rerum ne-*

 ceſſitate

ceſsitate contextum & expreſſum. Perſpice enim Scripturæ veſtigiis inhærens, quemadmodum id contigerit. Abraham quippe, niſi ipſe ab uxore ſua, quæ etiam Zelotypia teneri debebat, rogatus fuiſſet, ut ad ancillam accederet, nequaquam acceſsiſſet. Non enim voluptati indulgens (ſiquidem id demonſtrat præteritum tempus admodum longum) verùm liberorum cupiditate flagrans, pulcherrimâ & formoſiſſimâ muliere, quæq; univerſam Ægyptum pulchritudine ſuâ in admirationem traxerat, relictâ, aliud & deforme & ignobile arvum ſerere cogebatur. Vsq; eò enim ab omni libidinis affectu purus erat, ut etiam puellam, poſteaquam concepiſſet, atque eo fortaſſe nomine Dominam ſuam contempſiſſet, quod principatus ad eum, quem ipſa in lucem editura erat, deventurus eſſet, donec expulerit. -- Jacob autem, ſi ea, quam amabat, primò potitus fuiſſet, fortaſſe ne aliam quidem mulierem attigiſſet. -- Etenim ſocer majorem natu, quæ deformitate laborabat, junioris loco, cujus incredibilis quædam pulchritudo erat, ipſi adjunxit. Ipſe autem tandem aliquando cognitâ fraude indigne quidem id tulit, haud tamen eam ejecit: quod ſcilicet abſurdum eſſe judicaret, eam quam quoquo modo deſpondiſſet, ablegare. At ſocer, cum ut deceptor accuſaretur, ſuâ ſponte eo proceſsit, ut ipſi alteram quoq; daret. Nam id prorſus uſitatum ac veteri conſvetudine permiſſum erat, νενομισμένου πάντως τοῦ τοιούτου καὶ συγκεχωρημένου ὑπὸ συνηθείας ἀρχαίας. *Quod enim ille accepiſſet antiquior, etſi alioqui parum ipſi grata, pariebat: ea autem, quæ ipſum amoris illecebris devinctum tenebat, ne in ſpe quidem*

dem

dem ullâ hujus rei erat. Ac proinde graviſſimo mœrore correpta, ſe vim ſuæ vitæ allaturam minabatur, niſi pareret. Da enim mihi liberos, inquit, alioqui moriar, hoc eſt, mortem mihi ipſi conſciſcam. Ipſe itaq; non libidine ſubactus (neque enim alioqui eam, quæ incredibili pulchritudine prædita erat, relinquens, ancillæ ſeipſum dedidiſſet) ſed ut eam mœrore liberaret, ut id faceret, adductus eſt. Vt autem ancilla peperit, rurſum natu major Zelotypia percita, tametſi multos filios haberet, ipſum ad ancillam ſuam quoque ingredi coëgit. Ille autem ut diſſidii omnis & contentionis materiam è domo ſuâ ejiceret, ipſius cupiditati obſequitur. Ita eorum, quæ evenerunt, catena non aliunde ipſi, quàm à Rachelis amore contexta eſt. Nam ſi principiò eam accepiſſet, eâ fortaſſe contentus fuiſſet. Poſteaquam autem fraudem pertulit, non quod libidini deditus eſſet, ſed quia ab ipſiſmet mulieribus, quas Zelotypia laborare oportebat, nunc rogabatur, nunc etiam neceſſitate conſtringebatur, eò venire coactus eſt. -- Apoſtolus autem ea, quæ contigerunt, ad allegoriam trahit. Agarem videlicet & Saram ad duo Teſtamenta ducens. Theodoretus Quæſt. 66. in Geneſin: *Si attendamus Patriarcham concupiſcentiæ inſervientem, rem reprehenſione dignam vocabimus. Si verò uxor naturæ ſuæ infirmitatem declarans, & á creatore ſterilem ſibi factum eſſe uterum dicens, exponensq; quanto liberorum deſiderio teneatur, rogavit eâ de causâ Abraham, ut cum Agar congrederetur, quo ipſa liberos inde ſuſciperet, quid peccavit Abraham? Maximè, cum neq; natura, neq; lex ulla*

tum ſcripta plures ducere uxores probiberet: ipſa verò conjux ſterilis obſecraret virum ancillæ permiſceri, non ut voluptati inſerviret, ſed amborum naturæ conſuleret, ipſiq; reapſe vocarentur genitores. Et quæſt. 84. in Geneſin: *Multi ſibi prætexunt occaſionem laſciviæ, quod quatuor uxores Jacob habuit Verum uniuscujusq; facti ſcopus inquirendus eſt. Sic enim judicantes reperiemus quidem Patriarcham Jacob ſibi ſolam Rahel deſponſaſſe & præter animi voluntatem Leam attigiſſe. Mox igitur, ut dolum ſenſit, ægrè tulit & cum Socero queſtus eſt. Bile verò permixtus eſt, non voluptatis gratiâ ſed ut conjugem placaret. Nam cum Rahel angeretur, quod liberis careret, ſtolidèq; diceret: Da mihi liberos, alioqui moriar: pie quidem illam objurgavit Patriarcha & docuit, quisnam eſſet naturæ creator: & quod nuptiæ non darent liberos, ſed qui nuptiis legem dedit Deus. Adhæc etiam illud advertendum eſt, tunc temporis nondum datam eſſe ullam legem, quæ multiplices nuptias probiberet, & quod feliciſſimi tunc exiſtimabantur, qui multorum liberorum patres erant.* Denique in Epitome divinorum c. 25. *Non vetuit* (Deus) *veteres plures uxores habere, ut genus humanum augeretur. Eâq; de causâ etiam viri religioſi, cum plurium filiorum patres eſſe cuperent, duabus & tribus, & pluribus uxoribus jungebantur. Quod enim non voluptati ſervientes, plurium uxorum conſvetudinem ferebant, teſtatur Abraham Patriarcha, qui poſt multas Saræ adhortationes cum Agar congreſſus eſt, & poſt ejus partum ad eam non amplius acceſſit. Teſtatur & ſanctiſſimus Jacob, qui præter ſententiam quidem Leam accepit, propter uxorum autem Zelotypiam cum ancillis coire ſuſtinuit. Et illæ porrò non voluptati ſervientes, ſed quod plurium liberorum matres fieri cuperent, inter ſe contenderunt,* Cyrillus Alexandrinus lib. 4, Glaphyrorum in Geneſin, conſiderans hiſtoriam Jacobi, duplici matrimonio

nio utentis: *Hæc*, ait, *ex nudâ hiſtoria petita nullâ interpretatione indigent. Nihil enim omninò in ſe difficultatis habent. Cæterum ſi quis eorum, qui hæc accuratius expendunt, ducat turpe imprimis apud nos haberi, geminas nuptias contrahere, duasq; ſibi uxores copulare, atq; eas quidem ſorores. His reſpondemus, quod veteribus nihil magis in votis fuerit, quàm abundare liberis, idq; ſummæ felicitatis ducebant, liberumq; erat absq; ullâ reprehenſione non duabus ſolum, ſed & pluribus uxoribus copulari, quæ genus in immenſam multitudinem propagarent.* Procopius Gazæus in c. 29. *Forſan alicui abſurdum videatur, quod duas ducit uxores Jacobus & ſorores. Sed is ſciat, priſcis maximum fuiſſe ſtudium plurimæ procreandæ prolis, quiq; plurimis abundabat liberis, is inter beatos numerabatur. Quapropter nulli priſco ſeculo dabatur vitio, etiamſi quis complures ſibi jungebat uxores. Sobolis fœcunditatem ante datam legem loco benedictionis ſuſcipiebant priſci mortales.* Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Eccleſ. Officiis c. 19. *Sed dicat aliquis, quod & Patriarchæ ſimul pluribus uxoribus uſi ſunt. Ergò propterea licebit nobis plures ducere. Sanè licebit, ſed ſi qui adhuc typi alicujus futuri Sacramenti ſuperſunt, quibus plures nuptiæ figurentur.* Olympiodorus ad cap 7. Eccleſiaſtæ ℣. 11. Ἐξὸν ἦν τοῖς παλαιοῖς πολυγαμεῖν, *licebat antiquis Patribus multas uxores accipere.* Innocentius III. in extravag. de Divortiis C. Gaudemus : *Ab initio una coſta in unam fœminam eſt converſa nec ulli unquam licuit inſimul plures uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum: qui mos quandoque interdum etiam fas cenſetur, per quem ſicut Jacob à mendacio, Iſraëlitæ à furto & Samſon ab homicidio: ſic & Patriarchæ & alii viri juſti, qui plures leguntur habuiſſe uxores, ab adulterio excuſantur.* Rupertus lib. 2. in Geneſin c. 35. *Olim in ſanctis hominibus licentia non ſolum venialis,*

 verum

verum etiam inculpabilis extitit, multis mulieribus impenſum plures procreare liberos, v. gr. in Patriarchâ Jacob, cujus ex ſemine benedictionis auctor venturus erat Chriſtus Deus ſuper omnia benedictus. Jacobus de Vitriaco Dominicâ poſt Epiphaniam: *Poſteà, cum totus fere mundus coleret idola, paucis in cultu unius Dei remanentibus, conceſſum fuit eis ad tempus plures uxores habere, ut multiplicarentur, ne cultus Dei oblivioni traderetur.*

XXIV. Satis tamen ſancti Patriarchæ vel hoc ipſo, quod non niſi inviti plures uxores aſſumpſerunt, monogamiam polygamiæ omninò eſſe præferendam, ceu voluntati Dei magis conformem, oſtenderunt. Unde & Iſaacus, cui ſimilis ac reliquis iſtis duobus non obtigit fortuna, præter aliam haud ambiit uxorem. Sed & reliqui iſti ſic rem ſuam conjugalem diſpoſuere, ut quam proximè illâ accederent ad monogamiam. Quamvis enim Abrahamus, præter Saram, & Hagar matrimonio ſibi copulasſet, quo ſobolem ex eâ ſuſciperet, Dominam tamen non æquè ac illam rei ſuæ familiaris conſtituebat, indeque nec filium ejus Ismaëlem, paternam hæreditatem adire permittebat, ſed hanc quidem ſolum Iſaacum, quem ex Sarâ procrearat, tenere illum faciebat, Ismaëli autem, filio Hagar, nec non Cethuræ filiis, quam poſt obitum reliquarum iſtarum connubio ſibi junxerat, munera dabat, ſive portionem aliquam bonorum mobilium atque ab Iſaaco eos amandabat, dum adhuc viveret, Gen. XXV, 5, 6. Jacobus autem Patriarcha rem ſuam familiarem diviſiſſe nonnullis creditur, & partis quidem unius curam Leæ, alterius autem Racheli conceſſiſſe. Ex quo & factum putant, ut disjuncta ipſis in itinere parârit tabernacula. Cum enim Laban, ſocer ejus, ipſum perſequeretur & quæreret idola ſua, ſcribitur primum ingreſſus in tabernaculum Leæ & deinde Rachelis,

Gen.

Gen. XXXI,33. Videturque huc & Epiphanius reſpexiſſe hæreſ. 80. contra Maſſalianos, quando ait veteres, qui plures habuerunt uxores, non aluiſſe eas ſimul in unâ domo. Verba ejus num.8. hæc ſunt: Εἰ γὰρ καί τινες τῶν πατέρων δύο καὶ τρεῖς γυναῖκας ἐσχήκασιν, οὐκ ἐν μιᾷ οἰκίᾳ αἱ γυναῖκες ἦσαν, *Etſi quidam è Patribus duas tresve uxores habuerint, non in eâdem tamen illæ domo fuerunt.* Sed nec ſine causâ Deus ipſe graviſſimas Patres iſtos calamitates incidere juſſit & quidem occaſione ipſius polygamiæ. Unde enim illa Saræ & Hagaris contentio, quam non tantum ejectio matris ſed etiam Iſmaelis exhæredatio eſt conſecuta Gen. XVI, 4. ſeqq.? Unde jurgia iſta & æmulationes inter uxores Jacobi, Leam & Rachelem transmiſſæ etiam in ſobolem Gen. XXX, 1. ſeqq. c. XXXVII, 3. ſeqq.? Nempe demonſtrare Deus & hoc pacto voluit, quod ſimplex connubium duplicato eſſet præferendum. Quod vel Laban ipſe tandem intellexit. Inde enim generum ſuum, Jacobum juramento conſtringebat, ut præter filias ſuas alias novas conjuges non ſuperinduceret, Gen. XXXI, 50. Geminatum interim conjugium Deus illis non conceſſiſſet, ſi ſimpliciter id juri naturæ eſſet adverſum. Vixiſſent enim illi ſic in peccato mortali, in quo ne Deum quidem ipſum diſpenſare poſſe jam ante fuit oſtenſum.

XXV. *Quemadmodum* autem *Patriarchis ejusmodi matrimonium Deus conceſſit: ita & EX EJUSDEM CONCESSIONE licitum illud fuit poſteris ipſorum Judæis.* Idque *partim ideò*, ut genus ipſorum eò latius ſe diffunderet atque ſic promiſſio Abrahæ facta de multiplicatione ſeminis ipſius tanto magis impleretur, *partim*, ut imbecillitati iſtius populi conſuleretur. Quamvis enim Deus illi longè abundantiorem gratiam ac reliquis gentibus, inprimis & *dando* ei *legem ſuam*, quod beneficium David de-

 prædi-

prædicat Pſalm. CXLVII, 19, 20, conceſſiſſet, ſimilis tamen ille adhuc erat parvulis, quibus magna adhuc adhæret infirmitas variique defectus, qui ob tenellam ætatem in iis tolerantur. Quo & Paulus reſpicit, quando Judæos vocat *parvulos ſub elementis mundi ſervientes*, Gal. IV, 3. Ubi, in Græco eſt ςοιχεῖον, quod non rarò ſignificat initium ac primordium rei naſcentis. Quòmodo primordia, unde rerum naſcitur cognitio, Ariſtoteles vocat ςοιχεῖα. Sed & Juſtinianus rudimenta juris elementa vocat. Adhæc & rudimenta in arte quâvis vocantur ςοιχεῖα ejus, quia quod in rerum naturâ ſunt elementa, id illa ſunt in artibus. *Duro* inſuper *corde* erat populus hic, hoc eſt, refractarius & contumax, ut non facilè cederet Deo præcipienti, quod rectum erat facileque à Deo divertebatur, ſi quid ei præciperetur contra morem aliarum gentium. Perſtringitur hæc durities populi paſſim in Scripturis, veluti Exod. XXXIII, 3. & XXXIV, 9. Deut. IX, 6. & XXXI, 27. Eſa. XLVIII, 4, Ezech. II, 4. &, c. III, 7, Act. VII, 51. & alibi. *Hanc ergo ob cauſam non poterat illi JURA ſcribere UT OPTIMÆ REIPUBLICÆ, ſed præcepta eis dare cogebatur non bona*, ut loquitur Ezehiel c. XX, 25, id eſt, non æquè bona ac ſunt ea, quæ ad perfectionem ducunt. *Mala* enim, inquit Gregorius lib. 28. Moralium c. 17. (9) *quaſi mala eſſe deſinunt comparatione pejorum: & bona quaſi bona non ſunt comparatione meliorum. Nam ſicut pejus delinquenti Judææ de Sodomâ & Gommorrhâ dicitur: Juſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es: ita melioribus præceptis ſequentibus præcepta bona, quæ rudibus data ſunt, non bona eſſe memorantur.* Ita verba Ezechielis exponit etiam Ambroſius lib. 5. Epiſt. 42. ad Clementianum: *Nonocioſè dixit Apoſtolus, quia lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto. Pædagogus cujus eſt, maturioris*

rioris, an adoleſcentis? utiq; adoleſcentis aut pueri, hoc eſt, ætatis infirmæ. Pædagogus enim, ſicut etiam interpretatio Latina habet, Doctor eſt pueri: qui utique imperfectæ ætati non poteſt perfecta adhibere præcepta, quæ ſuſtinere non queat. Deniq; per Prophetam Deus legis ait: Dabo vobis præcepta non bona, id eſt, non perfecta. Quod enim bonum, utiq; perfectum. Permiſiſſe autem Deum Judæis polygamiam, patet ex Deut. XVII, 17. ubi Deus Regi populi ſui futuro inter alias leges & hanc præſcribit: *Non multiplicabit ſibi uxores.* Quid enim opus fuiſſet hac lege, ſi nulli in populo Dei licuiſſet duas vel plures uxores habere? Unde Auguſtinus, verba hæc expendens: *Manifeſtum,* inquit, *eſt Salomonem hoc præceptum tranſiiſſe. David autem plures habuit, nec præceptum præteriit. Permiſſum eſt enim plures habere, non plurimas, quæ alliciant animum multiplicare.* Et Nicolaus de Lyra: *Non inhibetur Regi ſimpliciter pluralitas uxorum, cum David, qui fuit ſanctus, ſex uxores habuerit: ſed quod non habeat in numero exceſſivo, & potiſſimum alienigenas.* Porrò Deut. XXI, 15, 16. ait Deus: *Si verò alicui,* inquit, *fuerint duæ uxores, altera dilecta, altera odioſa, genuerintq; ei filios tam dilecta quàm odioſa: & filius odioſæ fuerit primogenitus, adveneritq; dies, quo diviſurus eſt filiis ſuis, quos habet, hæreditatem ſuam: non poterit primogenitum facere filium dilectæ, donec ſuperſtes eſt primogenitus filius odioſæ.* Aſt quorſum rurſus lex iſta, ſi vetita fuiſſet Judæis polygamia? Si enim non licuiſſet habere duas uxores, nec lex ponenda fuiſſet iis, qui habebant, ſed reſcindendum ad minimum fuiſſet cum alterâ matrimonium. Sed *nec ulla expreſſa lex reperitur, qua prohibita fuerit Judæis polygamia,* quod ſanè factum fuiſſet, ſi Patriarchis quidem ea fuiſſet ex ſingulari diſpenſatione conceſſa, ipſis autem poſteâ denegata. Ita enim & ante Jocobo quidem licuerat ſimul habere in matrimonio duas ſorores; at id

 poſteà

poſteâ Deus in lege vetuit gradusque diſtinxit. Sic enim ille Levit. XIIX, 18: *Uxorem ac ſororem ſuam ne ducas ad laceſſendum, ut* ſcilicet *retegas turpitudinem ejus, vivente adhuc illâ.* Ad laceſſendum inquit. Ut enim acerrima eſſe ſolent fratrum odia: ſic & æmulationes ſororum. Noluit ergò Deus amplius virum duabus ſimul ſororibus jungi, ne videlicet perpetuo altera alteram affligeret, quod factum fuerat in matrimonio Jacobi. Sed nec Elcana, Vir quippe pius, duas duxiſſet uxores, ſi non licere id ſciviſſet. At habuiſſe duas *Peninnan* & *Hannam* apertè dicitur, I. Sam. I, 1, 2. Idem de Davide aliisque ſimilibus dicendum. Ex quo & auctor Peſichtæ Sadducæos ſeu Curæos refutat perhibentes, quod verbis, ex Levit. XIIX, 18. paulò ante adductis, vetitum eſſet duas habere eodem tempore uxores qualescunque, quod ſoror ſæpe apud Hebræos alterum aliquid ejusdem generis denotet. Sic enim ille: *Quot errores errarunt Curæi, qui dixerunt, Mulierem ad ſororem ejus non accipies, iſtæ ſunt duæ uxores: cum hoc ſit in lege, Prophetis & Hagiographis, quod Iſraëlitæ duxerint uxores duas, & de Phenina ſcriptum* I. Sam. I, 6. *Irritabat eam æmula ejus.* Et rurſus: *Qui dicit duæ uxores in mundo prohibitæ ſunt, notum ſit ei, neq; legem eſſe, neq; ſtatutum. Nam ecce multi juſti acceperunt duas uxores, velut Elcana, David, Salomo & in libro Præteritorum ſive Paralipomenων multi memorantur cum duabus uxoribus.* Sunt, qui his addant & locum ex II. Sam. XII, 18. ubi Deum ajunt Davidi tanquam inſigne beneficium imputare, quod ei complures uxores & quidem illuſtres dederit. Verum hic locus neſcio an ſatis ſit ad propoſitum confirmandum. Agitur enim ibi de uxoribus Saul, easque Deus dicit ſe Davidi dediſſe in ſinum. Aſt quis ſibi perſvaſerit Davidem Saulis conjuges pro uxoribus habuiſſe? Non enim fieri illud poterat ſine inceſtu,

quod

quod jam ante duxiſſet Michal, filiam Saulis & conſanguinei uxoris eodem gradu jungantur marito, quo conjuncti ſunt uxori. Unde & lex expreßè: *Nuditatem novercæ tuæ ne retegito, nuditas Patris tui eſt*, Levit. XIIX, 8. Neque contrarium evincit phraſis illa בחיקך, qua utitur Propheta. Refertur enim ea æquè ad domum, hoc eſt, ſervos & ancillas & opes atque uxores Davidi datas, ſicut & LXX. tranſtulerunt *καὶ ἔδωσά σοι τὸν οἶκον τοῦ κυρίου σου καὶ τὰς γυναῖκας αὐτοῦ εἰς τὸν κόλπον σου.* Nempe nihil aliud his verbis ſignificatur, quàm quod in poteſtate ſuâ ut res, ita & uxores Domini ſui David habuerit. Quæ enim in ſinu habemus, poteſtati noſtræ ſunt expoſita & arbitrio noſtro ſubjecta. Non negamus tamen propriè etiam juxta phraſin Scripturæ *in ſinum alicujus dare fœminam* idem eſſe, quod alicui propriam dicare ſive ita adjungere, ut ei adhæreat in morem uxoris. Quo ſenſu uſurpatur & Geneſ. XVI, 5, ubi Sara Abrahamum his verbis compellat: *Dedi tibi ancillam meam in ſinum tuum.* Loquitur autem ibi de Hagare Ægyptiâ, quam paulò ante verſu 3. Sara dicta fuerat Abrahamo, marito ſuo, dediſſe uxorem. Sed & exteri Scriptores in eâdem ſignificatione paſſim eâdem phraſi utuntur, veluti Ovidius lib. 7. Metamorphoſeon de Medeâ canens:

— — — *Gremioq; in Jaſonis hircas*
Per freta longa ferar, nihil ullum amplexa timebo.

Verum ſic נָשִׁים *naſcim*, quod in Hebræo eſt 2. Sam. 12, 8. non per uxores ſed fæminas erit exponendũ, quæ fuerint ex aulâ Regis, ſicut & Judæorum aliqui exponunt, dicentes deſignari ibi *fæminas* (ex aulâ) *quæ nuptiis Davidis idoneæ ac legitimæ fuere*, ut videre eſt in Gemarâ Babyl. ad tit. Sanhedrim c. 2. nec non apud R. Moſen Mikotzki præcepto Affirmat. 106. item R. David Kimchi ad 2. Sam. 3, 2. aut dare iſtud in ſinum de ſolâ *δυνάμει* erit explicandum, quod non agnove-

agnoverit David poteſtatem humanam ſuperiorem, quæ impedire ipſum potuiſſet, quo minus uxores Saulis matrimonio ſibi copularet, etiamſi ſine offensâ divinâ id facere ei non liceret. Quo ſpectat expoſitio Nicolai de Lyrâ, qui ad cap.12. lib.2. Regum: *Licet non legatur*, inquit, *quod David uxores Saulis acceperit. tamen Deus tantam poteſtatem ei dedit, quod poterat accipere.* Quod verò ille addit: *Et forſitan aliquas accepit, quæ nobiles erant*, id parum eſt probabile ob rationes ante allatas. Agit hac de re & Aphonſus Toſtatus Abulenſis Quæſt. 3. in 2. Regum 12. atque prædictam Lyrani expoſitionem rationabilem vocat, cum ait: *Si velimus dicere, quod David nullam de uxoribus Saul habuit, dicetur, quod intelligatur iſta libera non quod Deus dederit David uxores Domini ſui, ideſt, Saulis in ſinu ſuo, ſed quod dedit ei tantam poteſtatem, quod potuiſſet accipere in uxores vel concubinas ipſas uxores Saulis, quæ relictæ erant, & hoc teſtatur Nicolaus & eſt ſatis rationabile.*

XXVI. Sed quicquid de iſto loco ſit, conceſſam Judæis ſub V. T. fuiſſe polygamiam etiam Patres paſſim fatentur. Non vacat nunc omnium teſtimonia colligere, ſuffecerit ergò unum vel alterum ſolum produxiſſe. Athanaſius aut quisquis Autor eſt Quæſtionum ad Antiochum Quæſt. 97. ita ſcribit: *Quodſi quæris, quamobrem antiqui duas aut tres habuerint uxores, diſce diligenter*, ὅτι πολλὴ ἦν ποτε τοῦ διαβόλου ἡ τυραννὶς, *quod magna tunc eſſet Diaboli tyrannis*, indeque vult dicere, Deus non omnia ad vivum reſecuit, ſed infirmitati etiam populi ſui, quoad licuit, ſe accommodavit. Chryſoſtomus lib. de virginitate c.44: *Nobis ſumma hæc virtutis norma olim præſcripta non erat - neque uxore ejectâ alteram ducere erat impeditum: ac neque id ſolum, ſed duas etiam eodem tempore habere in matrimonio lege permittebatur: magna prætereà cum harum, tum aliarum rerum*

omnibus indulgentia tribuebatur. Auguſtinus lib. 3. de doctrinâ Chriſtianâ c. 12 *Regno terreno veteres juſti cœleſte regnum imaginabantur & prænuntiabant. Suſcipiendæ prolis causâ erat uxorum plurium ſimul uni viro habendarum inculpabilis conſvetudo.* Theodoſius, Arcadius, Honorius l. 7. C. de Judæis & Cœlicolis: *Nemo Judæorum morem ſuum in conjunctionibus retineat, nec juxta legem ſuam nuptias ſortiatur, nec in diverſa ſub uno tempore conjugia conveniat.* Eadem lex habetur & lib. 1. Βασιλικῶν lege 37. atque exprimitur his verbis: Μηδεὶς τῶν Ἰουδαίων κατὰ τὸν ἴδιον θεσμὸν συζευγνύσθω, μήτε κατὰ τὸν ἴδιον νόμον γαμείτω, μήτε εἰς διαφόρους, ἐνὶ καιρῷ γάμους συνερχέσθω. *Nemo Judæorum ſecundum morem ſuum conjungatur, neq; juxta legem ſuam nuptias contrahat. nec in diverſa ſub uno tempore conjugia conveniat.* Sed & pertinet huc, quod in Synopſi βασιλικῶν lib. 1. tit. περὶ Ἰουδαίων habetur: Κατὰ τοὺς κοινοὺς Ἰουδαῖοι γαμείτωσαν νόμους, *Juxta leges communes Judæi matrimonia contrahunt.* Niſi enim legem connubii illi habuiſſent à legibus Romanorum diverſam, hac conſtitutione opus non fuiſſet. Theodoretus Quæſt. 2. in 1. Regum quærit, cur Elcana duas habuerit uxores, & reſpondet: *Neq; juſſit lex cum duabus aut pluribus legitimè conjungi uxoribus, ſed neq; probibuit, concedens minus, ut probiberet majus. Ex eorum enim, qui accipiebant,* δυνάμει, *potentiâ ſ. viribus metiebatur leges. Hocq; divinus etiam dicit Apoſtolus. Nihil enim ad perfectum deduxit lex.* Cyrillus Alexandrinus lib. II. in Geneſin: *Majores noſtri maximam operam dabant, ut complures filios procrearent. — Quamobrem non ſolùm non duas uxores ducere probro ſibi quisquam exiſtimabat, ſed etiam complures coire fæminas, ut genus humanum propagari poſſet, rem honeſtiſſimam eſſe cenſebant. Nam & Deus loco benedictionis procreationem filiorum tribuebat. Atq; ita fit, ut non modò illis viris ſanctiſſimis, qui ante Moſen*

 fuerant,

fuerant, hoc munus Deus ſe largiturum promiſerit, verum etiam his, qui legis diſciplinam acceperunt. Dixit enim: Non erit ſine fœtu, neq; ſterilis inter filios Iſraël. Quibus accedit etiam Joannes Cantacuzenus Apolog. 4. ſcribens: *Moſes legislator ſingulis Judæorum uxores plures conceſſit in temporis ſucceſſionem illud permittens, ut & in animalium ſacrificiis factum eſt, ut ab impurâ filiorum cæde & oblatione abduceret.*

XXVII. Quamvis verò Judæis polygamia lege Moſaica fuerit permiſſa, fuit tamen & illa certis conditionibus circumſcripta, ex quibus ſatis eſſet colligere, quod monogamia Deo magis placeret. Et primò quidem ex iis, quæ Levit. XVIII, 18 dicuntur, non obſcurum eſt, *ad id, ut nuptias reiteraret maritus, REQUISITUM FUISSE CONSENSUM PRIMÆ UXORIS.* Ideo enim illic prohibet Deus maritum conjugi ſuæ ſuperinducere ſororem ejus, ne laſceſſeret ipſam. Aſt laceſſita non minus fuiſſet, ſi alia quædam ei fuiſſet ſuperinducta, ipsâ diſſentiente. DEINDE nec nimis multas unius oportebat eſſe conjuges. Sic enim vel Regibus ipſis erat injunctum lege iſtâ ex Deut. XVII, 17, quam adduximus jam antè. Non neſcimus quidem eſſe inter Judæorum Magiſtros, qui aſſerant præter Regem & Pontificem licuiſſe unicuique tot ducere uxores, quot vellet, dummodo haberet, unde alerentur. Sic enim Rabba in Gemarâ Babylonicâ tit. Jabimoth cap. 6. *Ducere cuiq; licet quotcunq; pro lubitu uxores, modo habeat, unde alantur*, ſive ut alii: *dummodo habeat, quæ eis ſufficiant.* Quod repetit & R. Maimonides Hall. Isboth c. 14. ſcribens: *Licet homini ducere quot voluerit uxores; etiam centum, idq; ſive ſimul, ſive alteram poſt alteram. Neq; impedire poteſt eum uxor ejus (quam ante habuerit) modo ſcilicet ei ſuppetat, quo ſingulis victum, veſtitum ac debitum conjugale præſtet.* Verum quorſum Regibus multiplicare uxores fuiſſet vetitum,

titum, ſi id aliis fuiſſet permiſſum? Non definitur tamen in ſacris numerus uxorum à Regibus aliisque ducendarum; in receptis autem Magiſtrorum ſententiis illis quidem OCTODECIM permittuntur, quem numerum haud debuerint excedere. Sic enim in Miſna legitur Tit. Sanhedrin c. 2. *Non multiplicet ſibi uxores* (Rex) *ultra octodecim. Atqui licuiſſe ei eas multiplicari voluit Rabbi Jehuda, modo cor ejus non averterent. Quin ex ſententiâ R. Simeonis etiam unica, quæ cor ejus averteret, ducenda non eſt. Si ita ſit, cur dicitur. Non multiplicet ſibi uxores ultra octodecim? Certè multiplicandæ non ſunt, etiamſi fuerint veluti Abigales.* Et R. Moſes Maimonides Hal. Melachim c. 3. *Ex eo quod legitur, Non multiplicet ſibi uxores, docetur tamen licuiſſe Regi accipere ſibi octodecim ſive uxores, ſive concubinas, ita tamen, ut ſimul octodecim non excederent.* Pariter & Moſes Cotzenſis præcepto Negat. 222. *Rabbini noſtri ajunt ex Cabala* ſeu Majorum traditione in *capite de Pontifice ſummo licuiſſe Regi ducere uxores usq; ad octodecim*, ſive ſcilicet reverà uxores eſſent, ſive concubinæ. Colligunt autem id ex indultu Dei de Davidis uxoribus. Conſtat enim ex 2. Sam. III, 2. & 1. Paral. III, 1. ſex illi in Hebrone fuiſſe uxores, Achinoama, Abigail, Mahacha, Chaggitha, Abithal & Ægla. Additur autem Jeroſolymis eum uxores ac concubinas ſibi junxiſſe plures, quod de duodecim accipiunt è verbis Nathanis, Regi poſteà factis 2. Sam. XII, 7, *Dedi tibi Domum Domini tui atq; uxores* ſive fœminas *Domini tui in ſinum tuum. Et ſi hoc parum eſt, adjiciam tibi multo majora* ſive ut Græci Interpretes habent: *καθὼς ταῦτα, ſicut hæc*, vel, ut Chaldæus, *ſicut iſta & ſicut iſta*, quod Judæorum Magiſtri ita intelligunt, ac ſi dictum eſſet: *Adjiciam tot, quot fuere, & tot, quot fuere ſeu totidem & totidem*, ut habet Gloſſa ad Deut. XVII, 17. Quod Gemara porrò

Babylonica ad tit. Sanhedrim c. 2. exponit his verbis: *Totidem ſex ſunt & totidem ſex ſunt, ut ſcilicet octodecim indicarentur.* Unde & Chaldæus Paraphraſtes Jonathan ipſam legem Regiam Deut. XVII, 17. ita reddidit: *Non multiplicet ſibi uxores ultra octodecim.* Cæterorum autem uxores QUATERNARIO includunt numero, quem à nemine præter Regem excedendum eſſe monent, ut qui contrafecerit impudens nimium atque majorum monitis inobediens ab iis habeatur. *Præceperunt Sapientes*, inquit Maimonides Hal Isboth c. 14. *ut nemo duceret plures quàm quatuor uxores, tametſi eſſet opulentiſſimus.* Atque inde fortè hic numerus & in Alcoranum Mahumedis manavit. In eo enim Azoar. 4. (in Latin. 8.) tale occurrit ſtatutum: *Ducatis pro lubitu uxores ſive binas, ſive tinas ſive quaternas. Quod ſi timueritis, ne poſſitis æquo jure agere, etiam & unicam, aut ex eis, in quas veſtrarum dextrarum poteſtas eſt.* (ex ancillis) *Hoc inſtitutum mibi eſt, ut non iniquè agatis.* Porrò & ab iis, qui vixerunt ſub lege, polygamis uni ex conjugibus conceſſa fuiſſe videiur prærogativa. Veluti David, poſtquam potitus erat regno utroque, videtur extuliſſe Bathſebam, indeque factum, ut Salomoni, quem cum ipsâ genuerat, regnum commiſerit, ut is eo poſt fata ipſius potiretur 2. Reg. XVII, 20. Salomon quoque, utut ſeptingentas uxores & trecentas concubinas haberet I. Reg. XI, 3. unam tamen ex illis loco & honore antetulerat, filiam nempe Pharaonis, Regis Ægypti. Quo pertinere putant Interpretes locum ex Pſalmo XLV, 10. *Filiæ Regum inter nobiles tuas*, id eſt, inter uxores tuas inclytas ſunt non paucæ, quæ à Regibus ducunt originem. *Regina* autem *adſtat ad dexteram tuam.* Regina, inquit, quam in Hebræo vocat שגל ab actu conjugii, ut quæ præcipuè jus habuerit cum rege dormiendi. Sed & reſpexiſſe etiam hunc arbi-

arbitrantur verbis iſtis ex Cant. VI, 7, 8. *Septuaginta fœminæ & octoginta concubinæ, & innumeræ puellæ, ſed una illa eſt columba mea, perfecta mea.* Non ſivit etiam Deus eorum quoque, qui ſub lege militabant, conjugium cum pluribus eſſe ſine moleſtiâ, Non fuiſſet familia David tot Tragicis contaminata ſceleribus, niſi polygamus ipſe fuiſſet. Nec Salomon adverſus fuiſſet à vero Dei cultu, niſi uxores contra legem ſibi multiplicaſſet. Illæ enim inclinare faciebant cor ipſius poſt Deos ſuos, hoc eſt, reddebant animum ejus perverſum ad cultum Deorum ſuorum I. Reg. XI, 2, 3, 4. Deniq; ut ſimplex conjugium ſibi multò magis placere denotaret, *PONTIFICI non niſi unicam uxorem ducere permiſit, ſi verum eſt, quod Talmudici memorant Doctores,* id colligentes ex verbis Levit. XXI, 31: *Fœminam accipiat.* Quia enim ſingulariter dicitur, inferunt inde, deſignatum fuiſſe hoc ipſo unam duntaxat ei fuiſſe ducendam. Sic enim in Gemarâ Babylonicâ ad tit. Jabimoth c. 6. legitur: *Scriptum quidem eſt heic, uxor ſeu fœmina una, ſeu ſingulariter, & non binæ.* Et R. Maimonides Hal. Iſure bia c. 17. de Pontifice loquens: *Non omninò ei erant ducendæ binæ uxores ſimul. Nam dicitur* (in lege de eo latâ) *uxor ſive fœmina ſingulariter & non binæ ſive plures.* Sed & in Talmud in Maſſechta Joma cap. 1. obſervante id etiam P. Cunæo lib. 1. de Republ. Hebræorum cap. 3. traditur, *nefas fuiſſe Pontifici uxores duas ſimul in matrimonio habere: aut ſi haberet, cum alterâ faciundum illi fuiſſe divortium ante diem decimum menſis Tiſii, niq; feciſſet, non obire eum Piaculum ſacrum ſolemni illo die in templi adytis potuiſſe.* Adhæc etiam Joſephus lib. 3. Antiquit. c. 10. id voluiſſe videtur, cum ait μόνην αὐτῷ δέδωκε γαμεῖν παρθένον καὶ ταύτην φυλάττειν, *ſolam ſive unicam ei conceſſit virginem ducere atq; eam ſervare.* Nec eſt, quod nobis objicatur exemplum Joja-

dæ Pontificis, quem duas habuiſſe uxores evincere volunt nonnulli ex 2, Paralip. XXIV, 3. verbis iſtis: *Et duxit ſibi* (ut illi quidem vertunt) *Jehoiadah uxores binas, genuitq; filios & filias.* Pronomen enim לו tam *ei*, quam *ſibi* reddi poteſt. Patiturque eandem expoſitionem & LXX. viralis translatio, qui reddiderunt: καὶ ἔλαβεν Ιωδαὲ δύο γυναῖκας, *& accepit Jojada duas uxores*, ubi in nonnullis codicibus additur αὐτῷ, quod utique ſimiliter tam ei, quàm ſibi poteſt denotare. Reddiditque ita & vulgatus Latinus, cujus translatio ita habet: *Accepit autem EI*, videlicet Regi Joas, *Jojada duas uxores.* Nec aliter intellexit Joſephus lib. 9. Antiquit. c. 7. qui apertè aſſerit, non Pontificis, ſed Regis fuiſſe illas uxores, ſed δόντος τοῦ ἀρχιερέως, *conjugium conciliante Pontifice.* Sunt tamen etiam ex Talmudicis, qui de ipſius Pontificis nuptiis verba iſta intelligunt, ſed ita ea interpretantur, ut nulla inde polygamia ſimultanea ſequatur. Sic enim illi in Maggid. Miſn. ad Hal. Iſure bia Maimonidis c. 17. *Intelligi poteſt Jehojadam Pontificem alterna earum alterâ demortuâ duxiſſe aut divortio ſeparatâ; aut alteram fuiſſe ei in uxorem tantum, antequam in Pontificatum eſt evectus. Et juxta ſententiam R. Abraham piæ memoriæ pridie feſti Expiationum libello repudii ſemper earum alteram ejecit.*

XXIIX. Intellexerunt ex his etiam alii ſub lege viventes, quod monogamia omninò juxta Dei voluntatem etiam ſub eâ adhuc eſſet præferenda, ideoque matrimonio ſimplici fuere contenti, imprimis quod viderent ejusmodi nuptias cum longè minoribus moleſtiis eſſe conjunctas. Fuiſſe inter illos videtur hæres ille Naëmi. Cum enim ex ipſo percontarentur, num ipſe hæreditatem illius ſibi vendicare vellet aſſumtâ unà in matrimonium nuru ejus Ruth Moabitide, ut exſuſcitaret filio iſtius demortuo nomen in hæreditate ſuâ juxta tenorem legis Levit. XXV, 25. reſpon-

reſpondebat ille: *Non poſſum mihi vendicare, ne fortè vaſtem hæreditatem meam. Vendica tu tibi jus propinquitatis meæ, quoniam ego vendicare non potero*, Ruth. IV, 6. Scilicet habebat jam hic uxorem & liberos, quorum patrimonium nolebat imminutum, quod futurum putabat, ſi alias nuptias iniret. Qvod enim habuerit uxorem, teſtatur Chaldæus Paraphraſtes; quod uxorem autem & liberos Joſephus. Verba Chaldæi Latinè converſa hæc ſunt: *Non poſſum redimere mihi, quia uxorem habeo, ad quam non licet mihi aſſumere aliam, ne fortè oriatur jurgium in domo mea & corrumpam hæreditatem meam. Retine tu, quia uxorem nullam habes.* Joſephus autem lib. 5. Antiquit. c. 11. Boazo ait renuntiaſſe eum & hæreditatem & Rutham, συγχωρεῖ μὲν εἶναι καὶ αὐτῷ τῶν τετελευτηκότων, εἶναι δὲ καὶ γυναῖκα λέγων αὐτῷ καὶ παῖδας ἤδη, utpote ei, qui etiam cognatus eſſet defunctorum atque adjeciſſe ſibi liberos jam ante eſſe & uxorem. Quibus reſpondent, quæ in Midraſch Ruth occurrunt Paraſch. 7, ubi Boazus fingitur dixiſſe vindici ſive Redemptori: *Si non uxorem aut prolem, teq; eam in familiam libenter recepturum, eâ tamen conditione, ut matrimonio tibi conjungatur.* Quod cum audierit redemptor, palam dicitur reſpondiſſe: *Abeat igitur Rutha.* Id eſt, ut exponit ibi R. Iſaſchar Ben Naphthali: *Abeat à me, diſcedat Rutha, quoniam nequeo ego ipſum ſimul cum hæreditate ejus redimere.* Non quaſi ipſi per legem haud licuiſſet duas ſimul uxores habere, ſed quod reſpiceret incommoda domeſtica, veluti procaces inter lares rixas, difficiliorem liberorum ſuſceptionem, educationem, hæreditatis diſtractionem & alia talia, quæ præcavere ille volebat. Sed & ipſi Judæorum Rabbini legem tulerunt, ut ne ſuis quidem, cum in ejusmodi locis degerent, ubi uni plures conjuges jungi mos non ferat, plures ducere integrum eſſe deberet. Sic enim R. Joſeph Karo in Sculcan

Aruch

Aruch lib. Aben Haazan c. 1. §. 10. *Ubicunq; loci mos obtinuerit, ut uxor ducatur tantum unica, non licet aliam uxori ſuperinducere.* R. Gamaliel etiam anathemate interdixit, ne quis uxori aliam ſuperinduceret, niſi tantum ex lege deducenda, fratre, ſine liberis demortuo, ſuperſtite. Quod idem obtinere voluit etiam in ſponſalibus.

XXIX. Cæterum ubi advenit plenitudo temporis, Chriſtus, ſuâ lege ut res alias, ita & hanc matrimonii ad perfectiorem inter Chriſtianos normam revocavit atque omninò ſuſtulit polygamiam. Ceſſaverant enim cauſæ, ob quas permiſſa illa fuerat patribus & Judæis. Auctum jam ſatis erat genus humanum, cultusque veri ac ſummi Dei, idololatriâ funditus everſâ, per omnes in univerſum gentes ac nationes erat diffundendus juxta illud Eſaiæ cap. II, 17. *Incurvabitur celſitudo hominum, & mortalium altitudo deprimetur & Dominus ſolus ſuperior erit in die illo. Idola autem in univerſum permutabit*, id eſt, perdet & de medio tollet. Durities in ſuper cordibus hominum olim adhæreſcens erat auferenda ab illis, & loco lapidei cordis dandum illis erat cor carneum, vi promiſſionis divinæ apud Ezechielem cap. XXXVI, 26, 27. *Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in præcordia veſtra: auferam cor lapideum de carne veſtrâ, & dabo vobis cor carneum.* Animus adhæc hominum à rebus terrenis erat avocandus atque ad ſtatum futuri ſeculi dirigendus, in quo nulla amplius obtinebit matrimonii contractio nec elocatio, omnibus evectis ad conditionem Angelorum Dei in cœlo Matth. XXII, 29, 30. Ex quo capite & Servator cœlibatum ſvadebat diſcipulis ſuis, præ cæteris deprædicans eos, qui ſeipſos *eunuchos* facturi eſſent *propter regnum cœlorum*, hoc eſt, continentiam ſervaturi, quò eò expeditiores eſſent ad cœleſtia meditanda & perſequenda Matth. XIX, 12. Quod & Paulus

Paulus facit I Cor. VII, 32. ſeqq ſcribens: *Qui cœlebs eſt, curat ea, quæ ſunt Domini, quo placiturus ſit Domino. At qui ducit uxorem, ſolicitus eſt de his, quæ ſunt mundi, quomodo placiturus ſit uxori. Diviſa ſunt hæc duo mulier & virgo. Innupta curat ea, quæ ſunt Domini, ut ſancta ſit cum corpore, tum Spiritu. Contra quæ nupta eſt, curat ea, quæ ſunt mundi, quomodo placitura ſit marito. Hoc enim ad id, quod vobis conducibilius eſt dico.* Et poſteà ℣. 38. *Qui elocat,* inquit, *nuptum, bene fecit: ſed qui non elocat nuptum, melius facit.* Ex conjugibus inſuper ob eandem cauſam in Eccleſiâ ſemper maximi fuêre habiti, qui mutuum quidem adjutorium, quod conferat matrimonium, amplecterentur, ab opere interim conjugali abſtinerent ad exemplum Joſephi & Mariæ, qui veri erant conjuges, Matth. I, 20, 24. Luc. I. 27. *Quantò meliores*, inquit Auguſtinus lib, de bono conjug. c. 3. *ſunt conjuges, tantò maturius in commixtione carnis ſuæ pari conſenſu ſe continere cœperunt, non ut neceſſitatis eſſet posteà, non poſſe, quod vellent, ſed ut laudis eſſet primum noluiſſe, quod poſſent.* Et lib. 1. de nuptiis & concupiſc. c. 11. *Quibus placuit ex conſenſu & uſu carnalis concupiſcentiæ in perpetuum continere, abſit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur: imò firmius erit, quo magis ea pacta ſecum inierint, quæ carius concordiusq; ſervanda ſunt non voluptariis corporum nexibus, ſed voluntariis affectibus animorum. Neq; enim fallaciter ab Angelo dictum eſt ad Joſeph: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam* (Matth. I, 20.) *Conjunx vocatur ex primâ fide deſponſationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax fuerat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commixtio.* Fuit tale connubium Pelagio, Epiſcopo Laodicéo, cum uxore ſuâ, quam adoleſcentem duxerat. *Ipſâ* enim *primâ nuptiarum die in thalamo*

nuptiali perſvadebat ei, ut continentiam voveret, teſte Theodoreto lib. 4. Hiſt. Eccleſ. c. 12. Anaſtaſius quoque Presbyter *uxorem nomine*, ſed *uſu ſororem* habuiſſe dicitur ab Amphilochio in vitâ Baſilii. Quod ipſum & de Petro, Baſilii fratre, idem ibidem refert. Sed notum eſt & exemplum Pulcheriæ Auguſtæ, ſororis Theodoſii Imperatoris, quæ cum perpetuam Deo voviſſet virginitatem, mortuo fratre, nupſit quidem Marciano, ſed eâ lege, ut caſtitatem ſuam Deo votam conſervare permitteretur, quod & præſtitit, teſte Cedreno & aliis. Ut taceam conjuges iſtos Avernenſes, de quibus Gregorius Turonenſ. meminit lib. de gloriâ confeſſ. c. 32. Ait enim *maritum, cum uxor obiiſſet, elevatis cœlum manibus dixiſſe: Gratias tibi rerum omnium artifex ago; quod, ſicut mihi eam commendare dignatus es, ita tibi reddo ab omni voluptatis conjugio impollutam.* Ad quod illa ſubridens dixerit: *Sile, ſile, Vir Dei, quia non eſt neceſſe prodere noſtrum ſecretum. Paulò poſt*, addit, *mortuus eſt & maritus alioq; loco ſepultus: & ecce manè facto inventa ſunt pariter eſſe ſepulchra, quæ usq; hodie ſic perdurant: idcircò nunc incolæ duos amantes vocitant & ſummo venerantur bonore.* Cæterum quia non omnes capiunt hoc, ideo conceſſum talibus à Chriſto eſt conjugium, ut licitè illud inire queant, eoque ceu remedio infirmitatis ſuæ ad compeſcendam libidinem utantur juxta illud Apoſtoli: *Qui continere ſe nequeunt, contrahant matrimonium. Satius enim eſt matrimonium contrahere, quàm uri*, I. Cor. VII, 9. Ex quo & Patres paſſim ſub novo fœdere tertium, quem ſuprà diximus, matrimonii finem, refrenationem ſcilicet concupiſcentiæ, præcipuè attendi affirmant. *Prima ſententia*, ait Cyprianus l. de diſciplinâ & habitu Virginum, *creſcere & generare præcepit: ſecunda continentiam ſuaſit. Cum adhuc rudis mundus & inanis eſt, copiam fœcunditate generantes propagamur, & creſcimus ad*

buma-

humani generis augumentum. Cum jam refertus eſt orbis & mundus impletus, qui capere continentiam poſſunt, ſpadonum more viventes caſtrantur ad regnum. — Nec tamen hoc jubet Dominus, ſed hortatur: nec jugum neceſſitatis imponit, quando maneat voluntatis arbitrium liberum. Chryſoſtomus lib. de Virginitate c. 34. *An igitur* (Apoſtolus) *conjugium virginitati præfert? Minimè id quidem. Nam de virgine conſilium dat, hîc tribuit indulgentiam, neutrum certè jubet. — Quodſi ejus ſententiam noſſe vis, audi, quæ dicat ipſe: Volo, inquit, omnes homines ſicut meipſum continentes eſſe. Si vis omnes ut ſe contineant, neminem vis jungi matrimonio? At enim eos, qui connubio jungi volunt, neq; propterea prohibeo. — Concedo illis connubium PROPTER FORNICATIONEM, quod verò illud mihi optatius ſit, propterea dixi initio. Bonum eſſe homini mulierem non tangere.* Auguſtinus lib. de bono conjugali c. 10. *Unde mihi videtur hoc tempore ſolos eos, qui ſe non continent, conjugari oportere, ſecundum illam ejusdem Apoſtoli ſententiam: Quod ſi ſe non continent, nubant. Melius enim eſt nubere, quàm uri.* Et lib. de bono viduitatis c. 7. & 8. *Alia propheticis temporibus ſanctarum fæminarum diſpenſatio fuit, quas nubere obedientia, non concupiſcentia compellebat: ut propagaretur populus Dei, inquo promitterentur prophetæ Chriſti, cum & ipſe populus per ea, quæ in figurâ contingebant in illis, ſive in iis, qui ſcirent, ſive in iis, qui illa neſcirent, nihil aliud eſſet, quàm propheta Chriſti, ex quo naſceretur, etiam caro Chriſti. Ut ergò ille populus propagaretur, maledictus habebatur per legis ſententiam, quæ non ſuſcitaret ſemen in Iſraël. Unde & ſanctæ mulieres accendebantur non cupiditate concumbendi, ſed pietate pariendi, ut rectiſſimè credantur coitum non fuiſſe quæſituræ, ſi proles poſſet aliter provenire. — Tu autem quæ & filios habes, & in eo ſeculi fine vivis, quo jam*

tempus ſit non mittendi lapides, ſed colligendi, non amplectendi, ſed continendi ab amplexu, cum clamat Apoſtolus: Reliquum eſt, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes ſint: profectò ſi ſecundas nuptias appetiſſes, nullum prophetiæ vel legis obſequium, nullum prolis ſaltem carnale deſiderium, ſed ſolius incontinentiæ fuiſſes indicium. Feciſſes enim, quod ait Apoſtolus, cum dixiſſet, bonum eſſe illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego: continuò quippe addidit: Quodſi ſe non continent, nubant: malo enim eas nubere, quam uri. Hoc enim dixit, ut effrenatæ libidinis malum non præcipitaretur in turpitudinem flagitiorum, cum exciperetur honeſtate nuptiarum. Rurſus lib. 1. de nupt. & concupiſ. c. 13. & 14. *Hæc propagatio liberorum, quæ in ſanctis Patribus propter generandum & conſervandum populum Dei, in quo prophetiam Chriſti præcedere oportuit, officioſiſſima fuit: nunc jam non habet illam neceſſitatem. Patet quippe jam ex omnibus gentibus ſpiritualiter gignendorum, undecunque carnaliter nati fuerint, copia filiorum. Et quod ſcriptum eſt (Eccl. 3) Tempus amplectendi, & tempus continendi ab amplexu: per illud atq; hoc tempus agnoſcitur diſtributum. Illud quippe fuit amplectendi, hoc autem continendi ab amplexu. Itaq; & Apoſtolus cum hinc loqueretur, ait: Hoc autem dico, fratres, tempus breve eſt, reliquum eſt, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes ſint. — Verùm in conjugatis, ut hæc optanda atq; laudanda, ſic alia toleranda ſunt, ne in damnabilia flagitia ſive in fornicationes vel adulteria corruatur. Propter quod vitandum malum etiam illi concubitus conjugium qui non fiunt cauſâ generandi, ſed victrici concupiſcentiæ ſerviunt, in quibus jubentur non fraudare invicem, ne tentet eos Satanas propter intemperantiam ſuam, non quidem ſecundum imperium præcipiuntur, tamen ſecundum veniam conceduntur.* Sedulius in I. Cor. VII. *Bonum fuerat*

rat illud, quod vobis in primordio prædicavi, hoc eſt, ſecundum conjugii uſum non tangere mulierem, ſed quoniam multos incontinentes huic doctrinæ loco ſcripſiſtis refragari, concedatur remedium, ne fornicando moriantur. At hic finis etiam in matrimonio ſimplici ſatis poteſt obtineri, ceu jam ſuprà quoque fuit oſtenſum. Hoc ergo ſuis nullumque aliud conceſſit Chriſtus, quo & ſic ad primævam formam matrimonium dirigeret atque inſuper Chriſtianorum conjugio tantò melius conjunctio ipſius Servatoris cum Eccleſiâ ſuâ, cujus illud *ſacramentum* eſt Eph. V, 32. repræſentaretur. Conjunctio enim hæc eſt *unius* cum *unâ*, quod propter *unam fidem* & *unum baptismum* fideles omnes, ex quibus Eccleſia conſtat, una Sponſa Chriſti reputantur unum cum Chriſto corpus conſtituens, cujus iſti membra ſunt. Quo pertinent & iſta Apoſtoli ex 2. Cor. XI, 2. *Adjunxi vos uni viro, ut virginem caſtam exhiberem Chriſto*

XXX. Hæ ſunt cauſæ præcipuæ, ob quas à Chriſto ſub N. T. abolita eſt polygamia. Unde quærentibus Judæis liceretne uxorem dimittere, negabat, legem conjugii ad primævam revocans inſtitutionem. *Non legiſtis,* inquiebat Matth. XIX, 4. *opificem ab initio feciſſe maſculum & fæminam & dixiſſe: propterea derelinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur uxori ſuæ: & erunt duo una caro.* Nempe urget Servator, quod conjugium inter unum & unam, videlicet unum virum & fæminam unam, non plures, puta inter Adamum & Evam fuerit inſtitutum, adeo ut ille hanc dimittere aliamque ducere haud poſſet; indeque colligit, cum jam tempus adeſſet, quo lege veteri, quæ nihil conſummare ſive ad complementum adducere poterat Hebr. VII, 19. ſublatâ, res hominum in priſtinum ſtatum redigendæ eſſent, etiam nunc unumquemque, qui in ma-

trimonio vivere cupit, unâ uxore contentum eſſe oportere, indeque eâ dimiſſâ aliam ducere haud poſſe, quamdiu illa in vivis ſuperſtes eſſet. Unde & addit, eum, qui poſthac dimiſſurus eſſet uxorem ſuam, niſi fortè id facturus ſit ob ſcortationem, pro mœcho eſſe habendum. *Dico vobis*: inquit, ℣. 9. *quicunq; dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob ſcortationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Eſt mœchus propriè, ut jam antè quoque obſervavimus, qui ad alienum torum accedit, aut alienam matremfamilias corrumpit. Verum quoniam Chriſtus polygamiam ſuſtulit atque parem nunc vult utriusque conjugum eſſe conditionem, ut nihil plus viro liceat, quam uxori, etiam talem virum in foro conſcientiæ adulterii nunc reum eſſe pronunciat, qui uxore priori dimiſſa duxerit aliam. Nec obſtat, quod Marc. X, 11. talis mœchari dicatur ἐπ' ἀυτὴν, *adverſus illam*, quaſi non ſimpliciter ſit adulter, ſed tantum injuriam faciat priori uxori. Præterquam enim, quod Syrus illud ἐπ' ἀυτὴν non legat, nihil impedit, quo minus id ita vertatur, in illam, vel adverſus illam, hoc eſt, in injuriam illius, ut ſenſus ſit, bis ejusmodi virum peccaſſe, primum quidem, quia mœchus eſt ſive adulter: deinde quia injurius eſt in uxorem ſuam. *Non latet quidem nos poſſe illud* μοιχᾶται *etiam ſic exponi*, ut idem ſit, quod ποιεῖ μοιχᾶσθαι, facit mœchari, nempe uxorem illam priorem à ſe dimiſſam, quomodo Servator & alibi, videlicet Matth. V. 32. *Quisquis repudiaverit uxorem ſuam præter cauſam ſtupri, efficit, ut illa mœchetur* ſ. adulterium committat. Facere enim delictum dicitur, qui cauſam dat delinquendi ſuâ culpâ, quâ de causâ & delictum ei meritò imputatur. VERUM eſt hæc impropria vocis ſignificatio: *à propriâ* autem *vocum ſignificatione in exponendis Scripturis non eſt recedendum, niſi explicatio contineat aliquid, quod implicet contra-*

contradictionem, quemadmodum ex ipſis etiam Judæorum Magiſtris obſervat R. Menaſſe Ben Iſraël lib. 1. de Reſurr. mortuorum. Præterea Eccleſia, quæ conſulenda ſemper eſt, cum locus aliquis Scripturæ obſcuritatem quandam præ ſe fert, ut ſenſum ejus genuinum intelligamus, ita ſemper verba Servatoris intellexit, ut & polygamiam illis abolitam exiſtimavit & adulterii reum peragi omnem, qui vivente priori uxore aliam duxerit, excepto caſu fornicationis. Sic enim Tertullianus lib. de monogamiâ c. 5. *Hæc quantum ad primordiorum teſtimonium & originis noſtræ patrocinium & divinæ inſtitutionis præjudicium. Quæ utiq; lex eſt, non monimentum, quoniam ſi ita factum eſt à primordio, invenimus nos ad initium dirigi à Chriſto: ſicut in quæſtione repudii, dicens illud propter duritiam ipſorum à Moyſe eſſe permiſſum, ab initio autem non ita fuiſſe, ſine dubio ad initium revocat matrimonii individuitatem.* Et c. 9. *Sed hæ argumentationes potius exiſtimentur de conjecturis coactæ, ſi non & ſententiæ adſtiterint, quas Dominus emiſit in repudii retractu, quod PERMISSUM aliquando jam PROHIBET, imprimis quia & ab initio non fuit ſic, ſicut matrimonii NUMERUS, tum quia, quos Deus conjunxit, homo non ſeparabit, ne ſcilicet contra Dominum faciat. — Cæterum & alia ratio conſpirat, imò non alia, ſed quæ initii formam impoſuit, & voluntatem Dei movit ad prohibitionem repudii: Quoniam qui dimiſerit uxorem ſuam, præterquam ex cauſâ adulterii facit eam adulterari, & qui dimiſſam à viro duxerit, adulterat utiq;. Non & nubere legitimè poteſt repudiata, & ſi quid tale commiſerit, ſine matrimonii nomine, non capit elogium adulterii, qua adulterium in matrimonio crimen eſt? Deus aliter cenſuit citra quam homines, ut in totum, ſive per nuptias, ſive vulgò, alterius viri admiſſio, adulterium pronuncietur à Deo. Videamus enim, quid ſit matrimonium apud Deum: & ita cognoſcemus, quid ſit*

æque

æque adulterium. Matrimonium eſt, cum Deus jungit duos in unam carnem, aut junctos deprehendens in eadem carne, conjunctionem ſignavit. Adulterium eſt cum quoquo modo disjunctis duobus, alia caro, imò aliena, miſcetur, de quâ dici non poſſit: Hæc eſt caro ex carne mea & hoc os ex oſſibus meis. Semel enim hoc factum & pronuntiatum ſicut ab initio, ita & nunc in aliam carnem non poteſt convenire. Ideoq; abſtulit repudium, quod ab initio non fuit, ut quod ab initio fuit, muniat duorum in carnem unam perſeverantiam, ne neceſſitas vel occaſio TERTIÆ concarnationis irrumpat, ſoli cauſæ permittens repudium, ſi fortè prævenerit, cui præcavetur. Hæc dictis locis Tertullianus. Quæ ille quidem ſcripſit, cum ad Montani caſtra jam tranſiiſſet. Approbant tamen ea hactenus & alii Eccleſiæ Doctores. Ita namque Chryſoſtomus homil. 63. in Matthæum: *Conſiderandum eſt, quia non autoritate ſolum Scripturæ, verùm etiam rerum dignitate ſententiam ſuam corroborat* (Servator.) *Non enim dixit, quia virum & mulierem unam ſolummodo fecit, verùm etiam, quia juſſit, ut unus uni conjungatur. Nam ſi voluiſſet alteram etiam conduci uxorem, uni viro creato multas conformaſſet mulieres, nunc verò ut creationis & ſanctionis modo UNAM UNI perpetuò conjungi: ita & nunquam reſcindi oportere perdocuit. — Quod ſi autoritate Moſis (vult dicere Servator) tutaris, ego tibi non Moſen, ſed Deum produco, ut vetuſtate præterea temporum ſuperior ſim. Deus enim à principio maſculum & fæminam fecit eos: hæc ergò lex etſi modò à me promulgari videatur, diligentiſſime tamen à principio temporum ſancita eſt.* Et poſteà ad verba illa: Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit uxorem ſuam, exceptâ causâ fornicationis, & aliam duxit, mœchatur: *Confuſis jam illis ſummâ autoritate legem ſanxit, quod etiam cum de cibis, cumq; de Sabbato diſputaret, ſimiliter fecit. De cibis enim diſſerens poſteaquam illas convicit tunc turbas*

turbas alloquebatur dicens, non ab eo, quod intrat, hominem coinquinari. Et de Sabbato pariter illis confuſis intulit: Licet ergò in Sabbato benefacere: hic quoq; eodem modo. Veruntamen quemadmodum ibi confuſis Phariſæis diſcipuli turbati accedentes cum Petro dixerunt : Expone nobis parabolam hanc: ſic nunc quoq; tumultuantes dicebant: Si ita eſt cauſa hominis, non expedit nubere. Ita qui melius nunc intellexerunt, turbantur: tunc autem non intelligentes ſiluerunt. Nam ex interrogatis & reſponſis clariore modo LEX FACTA eſt. Victor Antiochenus in cap. 10. Marci: *Adverte Chriſtum Servatorem rem hanc non tantum ab efformationis modo & ratione conſtituere & confirmare, verum etiam à mandato, quod decernitur, ut una tantum uni copuletur.* His ſubjungit verba ante adducta, & pergit: *Deinde verò ut primordianalem illam ſanctionem & inſtitutionem in jus vocare, gravi cum periculo conjunctum eſſe demonſtret, non dicit nemo vinculum illud diſſolvat, ſed dicit: Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, Quod ſi tu Moyſen oppoſueris, ego viciſſim Moyſi Dominum oppono & una cum hoc ex temporis ratione rem quoq; confirmo. Nam etſi LEX hæc nunc demum à me induci videatur, non eſt tamen heri nata ſed multò ante Moſaicam lata. Neq; enim Deus ſimpliciter uxorem viro conjunxit, verum parentibus quoq; propter initam cum uxore ſocietatem nuntium mittere juſſit. Quin ipſo etiam locutionis modo copulam illam indivulſam demonſtrat. Ait enim: Et erunt duo in carne una. Et hæc quidem naturalis habet conjunctio.* Et mox ad verba illa: Quicunque dimiſerit &c. *Etſi,* ait, *uxor alteri ſe conjunxerit, adulterium vocat.* Non aliter etiam Euthymius & alii.

XXXI. Ulterius & Paulus ex eodem capite Rom. 7, 1,2,3: *An ignoratis,* inquit, *fatres, legem tantisper dominari cuipiam, quanto tempore ipſe vivit? Nam viro obnoxia*

mulier, viventi viro devincta eſt per legem: quod ſi mortuus fuerit vir, liberata eſt à lege viri. Proinde vivente viro mœcha vocabitur, ſi fiat alterius viri. Quæ lex illa, per quam mulier viventi viro eſt devincta? Lex Moſis ſanè inquit, permittebat libellum repudii, quo mulier ſolvebatur à lege viri, etiam vivente marito. Patrum ergò non infimi exponunt verba hæc Apoſtoli de lege Evangelicâ, quâ divortium à Chriſto ceu adulterium, fuit proſcriptum, de lege inquam illâ Matth. 5, 32. & c. 19, 9. *Hæc lex*, ait Ambroſius in comm. *de Evangelio eſt, non ex Moyſe, neq; ex juſtitia terrenâ. Aliquid ergò duce naturâ, aliquid ex lege Moyſis addiſcentes, perfecti facti ſunt per Evangelium Chriſti.* Et Theodoretus: *Sciebat quidem divinus Apoſtolus, quod lex viventibus quoq; ſeparandi matrimonii facultatem dederit, quando id gratum non eſſet. Sed Dominica doctrinam exaudiit, quæ dicit, Moyſen hanc legem dediſſe ad cordis Judæorum duritiem: legem verò naturæ non ita habuiſſe. Unum enim virum & unam fæminam creavit Deus, in ipsâ creatione matrimonii ſtatuens legem.* Sedulius repetit verba Ambroſii: *Hæc lex de Evangelio eſt, non ex Moſe, neq; ex juſtitiâ terrenâ.* Rurſus I. Cor. VII, ℣. 2. ſcribit Apoſtolus: *Propter ſcortationem ſuam quisq; uxorem habeat*, τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα, *& quæq; proprium virum*, ἴδιον τὸν ἄνδρα. Habere uxorem nonnunquam idem eſt, quod debitum uxori conjugale reddere, quo ſenſu Apoſtolus eâdem epiſtolâ c. 5, 1. *Omninò auditur inter vos fornicatio, & quidem talis fornicatio, qualis nec inter Gentes nominatur*, ὥστε γυναῖκά τινα τοῦ πατρὸς ἔχειν, *ita ut nonnemo uxorem Patris habeat*, hoc eſt, cum eâ conſveſcat. Sed & Terentius in Andriâ Act. 1. ſcen. 1. in eandem ſententiam: *Quis hodie Chryſidem habuit?* Quis cum eâ conſuevit aut cujus illa dicto audiens fuit. Idem in Adelphis Act. 3. ſcen. 4. eodem modo: *Eho*, ait, *an domi*

domi eſt habiturus? Ad quæ verba Donatus: *Propriè, quia haberi uxor dicitur, & haberi mulier, quum coit.* Denique & Ariſtoteles lib. Categ. c. ult. §. 9: *Dicitur etiam vir mulierem habere, & mulier virum. Nihil autem aliud hoc ſermone ſignificamus, quàm ſimul habitare,* συνοικεῖν, id eſt, corpus cum eâ miſcere. Quo ſenſu & Hippocrates περὶ παρθενίων. Κελεύω δὲ, inquit, ἔγωγε τὰς παρθένους, ὁκόταν τὸ τοιοῦτον πάσχωσιν, ὡς τάχιστα ξυνοικῆσαι ἀνδράσιν. Et Laërtius lib. 2. in vita Ariſtippi: *Accuſante ipſum quodam, quod habitaret cum meretrice* συνοικεῖ, *Numquid, inquit, intereſt domum habere, in qua multi olim aut nemo habitaverit? Eo verò negante, Quid, inquit, navigare in navi, in quâ innumerabiles quondam aut ne unus quidem navigarit? eo negante, Ergò ne cum muliere quidem, inquit, rem habere,* γυναικὶ συνεῖναι, *quâ vel multi vel nemo uſus ſit.* Ita refert & Athenæus idem verbum eodem ſenſu uſurpans lib. 13. Dipnoſophiſtarum. Aliquando tamen habere uxorem etiam idem eſt, quod habere in matrimonio. Quomodo hic modus loquendi adhibetur Matth. XIV, 4. *Dicebat ei* (Herodi) *Joannes. Non licet tibi eam* (Herodiadem uxorem Philippi, fratris Herodis) *habere*, id eſt, *in matrimonium*, quod expreſſit Syrus. Hanc enim uxorem duxerat, teſte etiam Joſepho lib. 18. Antiquit. c. 7. Utroque ſenſu in loco Apoſtolico accipiatur perinde eſt. Id enim ſibi vult Apoſtolus, unumquemque ſuam propriam conjugem habere debere, quâ honeſtè fruatur eâque debere eſſe contentum. Pariterque & mulierem ſuo viro contentam alterum haud debere noſſe. *Suam, inquit, non alienam, uxorem, non uxores*, ſcribit Sedulius in Comm. ad h. l. Rurſus v. 4. ſcribit Apoſtolus: *Uxor proprii corporis jus non habet, ſed maritus: Similiter autem & maritus proprii corporis jus non habet, ſed uxor.* Quibus verbis apertè docet, quod licet in adminiſtratione fa-

miliæ uxor inferior ſit marito, in jure tamen & debito conjugali exigendo & reddendo illa huic par ſit atque æquale cum eo jus mutui corporis habeat. Quod ſi verò corporis ſui uſu ne ad tempus quidem maritus conjugem fraudare poteſt, quanto minus illud alteri mancipare poterit, cum nemo rem alienam invito Domino alteri bonâ conſcientiâ donare queat, nec jus alicui quæſitum ab eo invito auferri queat, juxta l. Id quod noſtrum D. de regulis juris. *Hæc dicit*, inquit Ambroſius vel potius Hilarius Diaconus Romanus, in Comm. ad hunc locum, *quod neque viro neq; mulieri liceat corpus ſuum alii tradere. - Invicem enim ſibi debitores ſunt in hac causâ, ne peccandi detur occaſio.* Chryſoſtomus homil. 19. in 1. Corinth. *Propterea debitam rem appellavit, ut neminem ſui ipſius Dominum eſſe oſtendat, ſed invicem ſervos. Cum igitur ad tentandum meretrix acceſſerit, dicas non eſſe tuum corpus, ſed uxoris. Itidem & uxor dicat adverſus eos, qui ejus volunt expugnare pudicitiam: Corpus meum, non eſt meum, ſed viri: -- Multis igitur in locis magnam tradit viro prærogativam. In V. quidem Teſtamento inquit: Et ſub viri poteſtate eris, & ipſe tibi dominabitur. Paulus autem ita dividit: Viri diligite uxores, uxor autem virum timeat: hoc autem in loco neque majus neque minus eſt, ſed una poteſtas. Quid tandem? Cum de pudicitiâ ſermonem habeat, in aliis quidem ſuperior ſit, inquit, vir hic pudicitiæ ratio habenda eſt: Vir ſui corporis poteſtatem non habet, neque uxor. Magna hic paritas & cupiditas nulla.* Theodoretus in Comm. *Quoniam lex nuptiarum unam eſſe*

eſſe carnem declaravit, jure & uxoris corpus mariti eſſe pronuntiavit, & rurſus mariti corpus uxoris poteſtati ſubjecit- Et in Epitome divinorum decretorum c. 25. exponens verba illa: Eſtis, inquit, alter in alterius poteſtate, *Non potes facere, quod vis, absque eo, qui jugum tecum unà trahit*. Primaſius in Comm. *Agnoſcunt viri: non ſibi licere aliam præter uxorem agnoſcere, quia æquali ſorte ſibi invicem ſunt ſubditi & debitores.* Theophylactus in Comm. *Non poteſtatem habent corporum* (conjuges.) *Sed enim uxor mariti & ſerva eſt & Domina. Serva quidem, quatenus non habet proprii corporis poteſtatem, ut tradat ipſum, quibus velit, cæterum maritus dominatur in ipſam: Domina verò quatenus rurſus mariti corpus ipſius eſt, nec habet is corporis ſui poteſtatem, ut tradat ipſum ſcortis. Conſimilem ad rationem maritus eſt cum ſervus, tum Dominus ſuæ Conjugis.* Oecumenius ad h. l. *Quam ob cauſam in aliis plus* (Apoſtolus) *tribuit viro, ubi de ſubjectione & poteſtate ipſi ſermo eſt, nunc autem æqualitatem dedit? Et dicimus, quod ibi de primario,* περὶ τοῦ ἀρχικοῦ, *ipſi ſermo eſt nunc verò de continentiâ, in qua neuter plus aut minus habere debet.* Anſhelmus deniq; itidem in Comm: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ut tradat illud alii viro, vel contineat ſe, ſed in viri ejus poteſtate eſt corpus ejus. Sed & vir ſimiliter poteſtatem non habet, ſui corporis ad aliam mulierem, vel ad continentiam, ſed mulier habet illud in poteſtate.-- In hâc enim re ſunt ambo pares, ut neuter posſit agere de corpore ſuo, quod voluerit,*

erit, id eſt, de parte corporis, quâ ſexus utriusque carnai ſorte diſcernitur, ſed in aliis rebus præeſt vir.

XXXII. Sed & aliis hinc locis paſſim Patres polygamiam ſub N. T. ajunt eſſe ſublatam. *Rabbini veſtri ſanè,* ait Juſtinus Martyr Sec. II. Tryphonem Judæum alloquens, *usque ad hunc diem & quatuor & quinque veſtrum quemque uxores habere permittunt: & ſi quis venuſtam inſpiciens eam expetiverit, cum Jacob Iſraëlis & aliorum Patriarcharum facta commemorant, tum nihil iniqui agere ſimilia facientes affirmant quo quidem etiam miſeri & ſtulti ſunt nomine. Nam, ſicuti prius dixi, magnorum ſacramentorum œconomiæ & diſpoſitiones in quolibet ejus generis facto ſunt celebratæ.* Deinde & Irenæus lib. 1. c. 32. Baſilidianos & Carpocratianos inter alia & ideo inter hæreticos ſcribit, quod polygamiam induxerint. *Alii,* inquit, *hæretici,* ſcilicet à Baſilide & Carpocrate, *occaſiones arripientes indifferentes coitus & multas nuptias induxerunt, & negligentiam ipſorum, quæ ſunt idolothyta ad manducandum non valde hæc curare dicentes Deum.* Athenagoras in Legat. pro Chriſtianis: *Vxorem quidem unusquisq; noſtrum quam duxit, ſecundum nobis poſitas leges reputat, eamq; ſuſcipiendæ duntaxat prolis cauſâ.* Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum: *Idem vir & Dominus vetera renovans, non amplius concedit polygamiam. Tunc enim id exigebat Deus, quando oportebat augeri & multiplicari.* Sec. III. Tertullianus in Exhortatioe ad caſtitatem c. 6. *Quia Patriarchæ pluribus uxoribus verum etiam*

concubi-

concubinis, conjugia miſcuerunt, ergò propterea nobis quoque licebit innumerum nubere? Sanè licebit, ſi qui adhuc typi, alicujus futuri ſacramenta, ſuperſunt, quos nuptiæ tuæ figurent: aut ſi etiam nunc locus eſt vocis illius: Creſcite & multiplicamini, id eſt, ſi nondum alia vox ſupervenit: Tempus jam in collecto eſſe, reſtare, ut & qui uxores habent, tanquam non agentes agant. Vtique enim continentiam indicens, & compeſcens concubitum, ſeminarium generis, abolefecit Creſcite illud & multiplicamini. Vt opinor autem unius & ejusdem Dei utraque pronuntiatio & diſpoſitio eſt, qui tunc quidem in primordio ſementem generis emiſit, indultis conjugiorum habenis, donec mundus repleretur, donec novæ diſciplinæ materia profecerat: nunc verò ſub extremitatibus temporum compresſit, quod emiſerat, & revocavit, quod indulſerat, non ſine ratione propagationis in primordio & reparationis in ultimo, ſemper initia laxantur, fines contrahuntur. Idem & alibi Hermogenem arguit ceu hæreticum, quod aſſiduè nuberet. Minutius Felix in Octavio: *Nos unius matrimonii vinculo libenter inhæremus: cupiditate procreandi aut* VNAM *ſcimus aut* NVLLAM. Lactantius lib. 6. Inſtitut. c. 23. *Caſtitatem non modo Deus inter privatos parietes, ſed etiam præſcripto lectuli terminat: ut cum quis habeat uxorem, neque ſervam neque liberam habere inſuper velit, ſed matrimonio fidem ſervet. Non enim ſicut publici juris ratio eſt, ſola mulier adultera eſt, quæ habet alium, maritus autem, etiamſi plures habeat, à crimine adulterii ſolutus eſt: ſed di-*

vina

vina lex ita duos in matrimonium, quod eſt in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur, quisquis compagem corporis in diverſa diſtraxerit. Et mox: *Servanda igitur fides ab utroque alteri eſt, imò exemplo continentiæ docenda uxor, ut ſe caſtè gerat. Iniquum eſt enim, ut id exigas quod ipſe præſtare non poſſis. Quæ iniquitas effecit profectò, ut eſſent adulteria, fœminis ægre ferentibus* præſtare ſcilicet fidem non exhibentibus mutuam caritatem. Et in Epitome divinarum inſtitutionum c.6. *Qui habet conjugem, nihil quærat extrinſecus: ſed contentus ea ſola carnem caſtiget, inviolati cubilis ſacramenta cuſtodiat. Adulter enim Deo eſt perinde atque inceſtus, qui abjecto jugo vel in liberam, vel in ſervam peregrinâ voluptate luxuriat. Sed ſicut fœmina caſtitatis vinculis obligata eſt, ne aliud concupiſcat: ita vir eâdem lege teneatur, quâ Deus & viro uxorem unius corporis compage ſolidavit.* Seculo IV. Concilium Nicænum can. 24. juxta Arabicum exemplar: *Nemo debet duas uxores ducere, nec uxori ſuæ aliam mulierem pro concupiſcentiâ introducere. -- Et qui hoc fecerit, ſi fuerit Sacerdos, prohibeatur miniſterio ſacrificandi & communione fidelium, quousque -- ejiciat domo ſecundam, & debet retinere primam. Idem judicium eſt de Laicis.* Et Canone 66. *Quicunque Sacerdos aut Diaconus uxorem ſuam propter fornicationem dimiſerit, aut ob aliam cauſam -- -- domo ejecerit propter bona externa, vel ut illam alia meliore aut pulchriore aut ditiore mutet, vel propter cauſam concupiſcentiæ, quod Deo diſplicet: & illâ*

ob has

ob has cauſas, dimiſſa, ipſe cum altera matrimonium contraxerit, aut non dimiſſa alteram duxerit, ſive liberam, ſive ſervam, & ambas pariter habeat, deponatur: Si autem fuerit Laicus prohibeatur Eccleſiâ. Rurſus Can. 27. *Quicunque duas mulieres in matrimonium acceperit ipſe cum ſecundâ excommunicetur.* Athanaſius Quæſt. ad Antiochum quæſt. 94. quærit, *quotuplex* ſit *adulterium* & reſpondet: *Duplex. Etenim mulier marito nupta, ſi quando ſcortetur, adulterium eſt. In fraudem ſiquidem eſt propriæ uxoris commiſſum.* Et quæſt. 96. eum, qui cum conjugem habeat, in alienam uxorem peccat, duplex adulterium, διπλῆν μοιχείαν committere ſcribit. Baſilius Magnus Epiſt. 79. ad Amphilochium: *Patres polygamiam ſilentio prætermiſere, ut belluinam & ab hominum genere alienam. Nobis autem probatur eam majus eſſe fornicatione peccatum & ideo conſentaneum eſt, ut canonibus ſubjiciantur, ut ſcilicet poſtquam anno fleverint & tribus ſubſtrati fuerint, ſic ſuſcipiantur.* Gregorius Nazianzenus Orat. 31. in dictum illud Evangelii: Quum conſummaſſet Jeſus hos ſermones; *Circa hanc* (pudicitiam) *pleroſq; malè affectos cerno ac legem eorum iniquam nec ſibi conſtantem. Quid enim cauſæ fuit, cur mulierem coërceret, marito contrà indulgeret eumq; liberum relinqueret: & mulier quidem, quæ improbum conſilium adverſus viri ſui cubile ſuſceperit, adulterii piaculo conſtringatur, acerbiſſimisq; legum pœnis excrucietur: vir autem, qui fidem uxori datam per adultrium violaverit, nulli ſupplicio obnoxius ſit? Hanc*

legem haud quaquam probo, hanc conſuetudinem minimè laudo. Viri erant, qui hanc legem ſanxerunt, ac propterea adverſus mulieres lata eſt, quandoquidem & filios paternæ poteſtati ſubjecerunt, infirmiorem ſexum incultum atq; incuratum reliquerunt. Ac Deus non ſic. --- Vnus viri & mulieris Creator, pulvis unus uterque, imago una, lex una, mors una, reſurrectio una. Æquè ex viro & muliere procreati ſumus: unum idemq; parentibus debitum filii perſolvendum habent. Quâ igitur fronte pudicitiam exigis, quam ipſe viciſſim non præſtas? Quomodo, quod non das, petis? Quomodo corpori pari honore prædito imparem legem ſtatuis? Si deteriora expendis, peccavit mulier: eodemq; quoq; modo Adam peccavit. Vtrumq; ſerpens decepit atq; in fraudem impulit: non altera infirmior inventa eſt, alter fortior. Si meliora conſideras, utrumq; Chriſtus paſſione ſuâ ſalute donavit. Pro viro caro factus eſt? Pro muliere item. Pro viro mortem ſubjit? Ipſius item morte mulieri ſalus parta eſt. Ex ſemine David nominatur, atq; hinc viros honore præſtari colligis? Audio. Sed ex virgine quoq; naſcitur, quod ad mulierum laudem valet. Erunt igitur, inquit, duo in carne unâ: proinde caro, quæ una eſt, æqualem honorem habeat. Iam verò Paulus exemplo quoq; caſtitatem velut lege præſcribit, quo tandem modo? Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & Eccleſiâ. Pulchrum eſt mulieri Chriſtum per virum revereri: pulchrum quoq; viro Eccleſiam per uxorem non aſpernari. Mulier, inquit, ut virum timeat, quippe & Chriſtum. At vir etiam

ut uxo-

ut uxorem foveat atq; complectatur: nam & Chriſtus Eccleſiam. Quin etiam hæc verba ſtudioſius & accuratius expendamus: Mulge lac, ait ille Proverb. v, 9. & erit butyrum: ſedulo exquire, & fortaſſe in iis ſucculentius aliquid invenies. Hac enim oratione ſecundas nuptias mihi deprecari videtur. Si enim duo Chriſti ſunt, duo quoq; viri ſunt: ſi autem unus Chriſtus, unum Eccleſiæ caput, una etiam caro ſit, ſecunda autem reſpuatur. Ambroſius lib. 1. de Abraham c. 4. *Nemo blandiatur ſibi de legibus hominum. Omne ſtuprum adulterium eſt: nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro, quæ ab uxore debetur caſtimonia. Quicquid in eam, quæ non ſit legitima uxor, commiſſum fuerit, adulterii crimine damnatur.* Et cap. 7. *Nulli licet ſcire mulierem præter uxorem. Ideo conjugii tibi datum eſt jus, ne in laqueum incidas & cum alienâ muliere delinquas. junctus es uxori, noli quærere ſolutionem, quia non licet tibi uxore vivente uxorem ducere. Nam & aliam quærere, cum habeas tuam, crimen eſt adulterii: hoc gravius, quod putas peccato tuo auctoritatẽ lege quærendam.* Et rurſus eodem loco: *Non hoc ſolum eſt adulteriũ, cum alienâ peccare conjuge, ſed omne id, quod non habet poteſtatem conjugii.* Sed & ſpectat huc locus ille Ambroſiii ex lib. 1. de Officiis c. 50. *De caſtimoniâ quid loquar, quando una tantum, nec repetita permittitur copula? Et in ipſo ergò conjugio lex eſt, non iterare conjugium, nec ſecundæ conjugis ſortiri conjunctionem.* Chryſoſtomus hom. 56. in Geneſin. *Audiens, quod Iacob accepit & ma-*

jorem natu, & poſteâ minorem, ne turberis: neq; juxta ſtatum qui nunc eſt, opera, quæ tunc facta, judices. Tunc enim, quia principia erant, permiſſum fuit cum duabus, vel tribus, vel pluribus uxoribus miſceri, ut humanum genus propagaretur. Nunc verò quia per Dei gratiam humanum genus valdè multiplicatum eſt, & pietas incrementum accepit, adveniens utiq; Chriſtus & virtutem in hominibus plantans Angelosq;, ut ita dicam, ex hominibus faciens, omnem illam veterem conſvetudinem abolevit. Et lib. de Virgin. c. 44. *Etiam duas eodem tempore in matrimonio habere lege permittebatur, magnaq; cum harum, tum aliarum rerum omnibus indulgentia tribuebatur. Quæ ſanè indulgentia via poſt Chriſti adventum longè fuit anguſtior, tantaq; hæc eorum, quæ diximus, licentia, quanta verbis exprimi non poteſt, nobis eſt circumciſa.* Porrò & homil. 5. in 1. ad Theſſal. *Quemadmodum,* inquit, *mulieres nos punimus, quando nobis nuptæ aliis ſeipſas conjungunt: ita puniemur & nos, etſi non à Romanis legibus, certe à Deo. Etenim & illud adulterium eſt.* Μοιχεία γὰρ οὐ μόνον ἑτέρῳ συνεζευγμένην μοιχᾶσθαι, ἀλλὰ καὶ τὸ δεδεμένον αὐτὸν γυναικί. *Adulterium quippe non tum ſolum eſt, quando mulier alteri nupta mœchatur, ſed & quando vir hoc facit, qui uxori alligatus eſt. Attende diligenter, quod dico. Etſi namq; grave ſit multis, quod dico, neceſſarium tamen eſt ut impoſterum corrigatur hoc malum. Non hoc ergò duntaxat adulterium eſt, quod mulierem viro conjunctam corrumpimus, ſed & ſi dimiſſam ac ſolutam, ipſi uxoribus alligati corruperimus, adulte-*

adulterium eſt. Quid enim quod fornicaria nemini alligata eſt? Si tu alligatus es uxori, legem transgreſſus es: carnem tuam injuriâ affeciſti? Etenim dic mihi, cur punis uxorem, etiamſi cum ſoluto viro & uxorem non habente fornicetur? Eo quod adulterium committit. Quamobrem? Atqui uxorem non habet, qui cum eâ fornicatur. At ipſa alligata eſt viro. Iam & tu alligatus es uxori. Ergo tuum quoque facinus adulterium eſt. Qui enim dimiſerit, inquit (Servator) *uxorem ſuam præter fornicationis cauſam facit eum adulterium committere, & qui dimiſſam duxerit, adulterium committit. Si ergò qui dimiſſam ducit, adulterium committit, qui cum ſuam & illam corrumpit, manifeſtum eſt planè quod adulterium committat.* Autor Operis Imperfecti in Matthæum quod apud eundem homil. 1. *Vis ſcire, quomodo licitum eſt matrimonium? Quomodo aliquando licuit & ſorores habere uxores? quomodo habuerunt Cain & Abel, & non peccaverunt? quia peccatum illud raritas hominum & neceſſitas excuſabat. Poſteà creſcente numero hominum ipſum malum reverſum eſt in naturam ſuam & cœpit eſſe peccatum. Remanſit autem in uſu, ut uni viro liceat habere plures uxores. Amplificato poſteà mundo etiam hoc malum recepit naturam ſuam, & cœpit eſſe peccatum. Remanſit autem in uſu, ut unus unam habeat uxorem.* Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ Epiſt. 30. *Apud nos quod non licet fœminis, ÆQVE non licet viris: & eadem ſervitus pari conditione cenſetur.* Servitutem vocat matrimonium, quia videlicet vir non

habet poteſtatem corporis ſui, nec mulier ſui, I. Cor. VII, 4.

XXXIII. Seculo V. Auguſtinus lib. 3. de doctrinâ Chriſtiana cap. 12. *Suſcipiendæ prolis causâ erat uxorum plurium ſimul uni viro habendarum inculpabilis* (ſub V.T.) *conſvetudo. -- In hujuscemodi enim moribus quicquid illorum temporum ſancti non libidinosè faciebant, quamvis ea facerent, quæ hoc tempore niſi per libidinem fieri non poſſunt.* Et lib. de bono conjugali c. 15. *Non eſt propagandi neceſſitas, quæ tunc fuerat, quando & parentibus conjugibus alias propter copioſiorem poſteritatem ſuperinducere licebat, quod nunc certè non licet. Non tantum affert opportunitatis ad aliquod juſte agendum ſive non agendum temporum ſecreta diſtinctio, ut nunc melius faciat, qui nec unicam duxerit, niſi ſe continere non poſſit. Tunc autem etiam plures inculpabiliter ducebant & qui ſe multò facilius continere poſſent, niſi aliud pietas illo tempore poſtularet.* Rurſus lib. 1. de Sermone Domini in monte c. 28. *Nihil iniquius, quàm fornicationis causâ dimittere uxorem, ſi & ipſe convincitur fornicari. Occurrit enim illud: In quo alterum judicas, temetipſum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas. Quapropter quisquis fornicationis causâ vult abjicere uxorem, prior debet eſſe à fornicatione purgatus. Quod ſimiliter etiam de fœminâ dixerim.* Et ſerm. 4. de verbis Apoſtoli: *Quis aliquando habens uxorem, quia & ancillam vitiavit ſuam, crimen invenit? Sed in foro, non in cœlo, in lege mundi, non in lege creatoris ſui.*

Inno-

Innocentius I. Papa Romanus Epiſt. 3. ad Exuperium Epiſcopum c. 4. *Chriſtiana religio adulterium in utroq; ſexu pari ratione condemnat. Sed viros ſuos mulieres non facilè de adulterio accuſant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud Sacerdotes deferre conſueverunt. & ideò mulieribus prodito earum crimine communio denegatur: virorum autem latente commiſſo non facile quisquam ex ſuſpicionibus abſtinetur: qui utique ſubmovebitur, ſi ejus flagitium detegatur: cum ergò par cauſa ſit, interdum probatione ceſſante vindictæ ratio conquieſcit.* Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Geneſin: *Majores noſtri non ſolùm non duas uxores ducere probro ſibi exiſtimarunt, ſed etiam complures coire fœminas, ut genus humanum propagare poſſent, rem honeſtiſſimam eſſe cenſebant. Nam & Deus loco benedictionis procreationem filiorum attribuebat. — Nos verò qui in Chriſtum traducti ſumus, ut fructum ſpiritualem afferamus, etſi matrimonium bonore proſequimur, munus tamen illud, quod excellentius ſit, magnisq; laudibus apud Scripturam ſacram commendatur, omni ſtudio eligimus atq; ſectamur. ut ſoli ſcilicet Deo adhæreamus, nullæq; res mundanæ nobis impedimento ſint. Qui enim, inquit Apoſtolus* (I. Cor. 7.) *cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ mundi ſunt, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.* Iſidorus Peluſiota de Patriarchis Polygamis differens lib. 2. Epiſt. 274. *Nemo,* inquit, *ex iis, qui libidini & laſciviæ ſeſe in ſervitutem addixerunt, uxoribusq; ſuis relictis in proſtibulis volutantur, ac diſſidia & contentiones in domos ſuas injiciunt, clarorum illorum virorum atq; omnibus aliis virtutibus inſtructorum & ornatorum ob rerum neceſſitatem conſecutos defectus proferens, vitii ſui excuſationem habere ſe exiſtimet: nec eos, qui ante legem vixerunt, cum his, qui poſt legem & gratiam,* μζ τὸν νόμον καὶ τὴν χάριν, *vivunt, conferre aggrediatur. Nam ſi vir-*

ſi virtutem nondum ſcripto proditam libentibus animis amplexati, per literas hanc quoq; didiciſſent, non eſt dubium quin magis effulſiſſent. Eucherius Lugdunenſis de quæſtionibus difficilioribus V. & N. T. in Geneſ. *Polygamia pro tempore non fuit improbabilis, quod rudi adhuc ſeculo præceptum fuerat: Creſcite & multiplicamini. Nunc verò jubetur, ut qui habent uxores, tanquam non habentes ſint, non quod juſtitia vacua ſit, ſed tempora mutabilia, quæ pariter ire non poſſunt & diverſis quibusq; temporibus vel diverſis locis diverſa congruant.* Baſilius Seleucienſis Orat. 3. de Lazari reſuſcitatione: *Nulla veniâ dignus eſt, qui poſt acceptam uxorem tantamq; perceptam conſolationem cum ſummâ illius contumeliâ alteri ſeſe conjungit. Hoc enim nihil aliud eſt, quàm deplorata quædam mollities: Si enim plurimi, quando tempus jejunium exigit aut orationem depoſcit, à propriis uxoribus ſe continent; qui ſuâ non contentus etiam inducit, quantam putas capiti ſuo pernitiem accerſit?* Seculo VI. Fulgentius de fide ad Petrum c. 3. *Si cui primo contigerit privari conjugio, ſi voluerit, ſecundas vel tertias inire nuptias, nullum de illis peccatum habebit, ſi eas caſtè ſervaverit, ſ. ſi UNUS & UNA legitimè duntaxat conjuncti fidem ſervent, ut nec ille mulieri præter uxorem, nec illa viro præter maritum ullatenus miſceatur. In talibus etſi fuerit aliquis conjugalis exceſſus, qui tamen legitimum non violet thorum, habebit nonnullum, ſed veniale peccatum.* Primaſius in c. 13. Epiſt. ad Hebræos: *Honorabile connubium eſt, amore filiorum legitimè uxorem ducere, temporibusq; certis ab eâ abſtinere, nec PLURES UXORES habere: quia in initio, ut Scriptura dicit, creavit Deus maſculum & fæminam, dixitque eis: Creſcite & multiplicamini. — Sin verò legitimum non fuerit connubium, neq; thorus immaculatus.* Procopius Gazæus in cap. 29. Geneſ. *Nulli priſco ſeculo dabatur*

vitio

vitio, etiamſi quis complures ſibi jungebat uxores. Sobolis fœcunditatem ante datam legem loco benedictionis ſuſcipiebant priſci mortales. Etiam illi, qui lege regebantur, multos liberos judicabant eſſe benedictionem Domini. His dicitur: Si legem cuſtodieritis, non erit inter filios Iſraël ſterilis. Nec tamen lex, ſed promiſſio elargiebatur fœcunditatem. Siquidem non in nobis ſitum eſt, ut vel fœcundi vel ſteriles ſimus. Atqui ſumus in Chriſto, ejusq; dogmata ſectamur, feſtinemus ad ſpirituales fructus edendos, nec tamen interim aſpernemur nuptias : ſed eligamus id, quod potius eſt. Sec. VII. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Eccleſ. Officiis c. 19. *Secundas nuptias propter incontinentiam jubet Apoſtolus: Melius eſt enim denuò uni viro nubere, quàm explendæ libidinis causâ cum pluribus fornicari. Sæpius autem nubendi licentia jam non eſt religionis ſed criminis.* Et ſuper Exodum c. 29: *Non mœchaberis*, inquit, *id eſt, ne quisquam præter matrimonii ſui fœdera aliis miſceatur ad explendam libidinem. Nam ſpecialiter*, vel, ut alii legunt, ſpiritualiter *adulterium facit, qui præter ſuam ad alteram accedit.* Seculo IIX. Anthelmus, Occidentalium Saxonum Epiſcopus lib. de laudibus Virginitatis c. 8. *Olim cum quadra mundi latitudo nondum fœcundæ ſobolis proſapiâ repleretur, divina taliter ſanxerunt edicta : Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Nunc verò ejusdem Regis decreta pro temporum qualitate mutantur, & aliter legem promulgare putatur.* Seculo IX. Angelomus in 2. Reg. c. 11. *Sed fortaſſe dicat quis: Si David imaginem Chriſti gerebat, quomodo multas uxores & concubinas habuiſſe ſcribitur, cum has res Chriſtus exhorreſcat & damnet. Hoc enim per figuram fiebat. Multæ enim uxores David multarum gentium & nationum imaginem indicabant, quæ per fidem Chriſti conſortio jungerentur. Concubinæ enim ejus ſignificant hæreticorum Eccleſias, quæ ſub Chriſti nominis*

 titulo

titulo manare ſe gloriantur. Sed quia propter carnalia lucra ſectantur Chriſtum, non conjuges, ſed concubinæ vocantur. Nunc ſi reges habeant uxores vel concubinas, crimen eſt. Quia enim tranſierunt figuræ, pro quibus uxorum vel concubinarum venia concedebatur -- nunc venia nulla datur. Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum c. 31: *Si liceat uno tempore duas uxores habere requiritis: quodſi non licet, ſcire cupitis, apud quem inventum fuerit, quid exinde facere debeatis. Duas tempore uno habere uxores, nec ipſa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Chriſtianorum illa permittit.- Itaq; apud quem unotempore duæ uxores inveniuntur, priori retractâ poſteriorem cogatur amittere, inſuper & pænitentiam, quam loci Sacerdotes prævideringt, compellatur ſuſcipere.* Johannes IIX. Epiſt 198. *Hoc etiam illis pariter jubemus, ut nullus propriam relinquat uxorem & illa vivente alteram ſibi ſociare præſumat: nec liceat ei uno tempore duas habere uxores, uxoremve & concubinam.* Seculo XI. Olympiodorus ad c. 7. Eccleſiaſtæ Salomonis: *Licebat antiquis Patribus uxores multas accipere, quod tamen nobis Evangelica lex interdixit.* Et ad c. 9. ℣. 9. Perfruere vitâ cum uxore: *Quodſi hæc verba ad uxorem mariti cujuslibet referas, tunc literali ſenſu nos admonebat, ut juxta monogamiæ legem uxore unâ contenti ſimus. Conjugalis namq; caſtitas & obſervantia ipſa quoq; nobis eſt æternæ vitæ conciliatrix.* Seculo XII. Petrus Lombardus lib. 4. diſt, 33. *Multiplicatio uxorum generaliter probibita eſt. -- Permiſſum eſt autem Regi plures habere, ſed non multiplicare. Veniente autem plenitudinis tempore, quo Chriſti gratia eſt ubiq; dilatata, reducta eſt lex nuptiarum ad priorem honeſtioremq; inſtitutionem, ut unus uni in figurâ Chriſti & Eccleſiæ conjungatur.* Guilielmus Alvernus lib. de Sacr. matrimonii c. 9. poſtquam cauſam reddidiſſet, ob quam veteribus indulta fuiſſet uxorum pluralitas, ſubdit: *Verùm*

Verùm perfectionis Evangelicæ ſidere latius & copioſioſius radiante omnia hæc abrogata ſunt & auctoritate divinâ interdicta, ſicut legitur Matth. 19. & Luc. 16. ubi ipſa veritas ore ſuo ſacratiſſimo uxorum multitudinem, imò etiam dualitatem prohibuit & ſeparationem, exceptâ ſolâ causâ fornicationis, interdixit. Sec. XIV. Joannes Cantacuzenus Apol. 4. *Sicut Chriſtus adveniens animalium ſacrificia prohibuit legis ſcopum implendo: ita etiam uxorum ſuſtulit pluralitatem.*

XXXIV. Atque hinc & paſſim ab Imperatoribus Chriſtianis polygamia fuit proſcripta. Sic enim Athalaricus Rex Sec. V. apud Caſſiodorum l. 9. Epiſt. 18. *Uno tempore duabus nemo copuletur uxoribus: quin ſe noverit ſuarum rerum amiſſione plectendum. Nam aut libido eſt & recte perfrui non ſinetur: aut cupiditas & jure nuditate damnatur.* Pariter & Juſtinianus in Inſtit. de Nuptiis §. 6. *Duas uxores eodem tempore habere non licet.* Et §. 7. *Duas uxores habere non potes.* Et in Authenticâ de Triente & ſemiſſe §. Conſideremus: *Legitimæ uxori conjunctus alias inſuper inducere non poterit, matrimonio conſiſtente.* Cui quidem conſtitutioni adeò tenaciter inhæſerunt, ut ne Judæis quidem liberum reliquerint, plures ſimul ducere uxores, ceu ſuprâ ex l. 7. C. de Judæis de Cœlicolis & lege 37. lib. 1. Βασιλικῶν nobis viſum fuit. Carolus V. inſuper pœnam gladii polygamiæ propoſuit in Ordinat. Criminali c. 21. Neque id mirum. Fuerat enim jam ante Romanis legibus illa prohibita & quidem ſub pœnâ infamiæ aliaque judicis arbitraria, ceu oſtenſum jam ſupra ex l. 1. D. de his, qui notantur infamiâ l. 18. C. ad legem Jul. de adulteris & l. 2. C. de inceſtis nupt. *Unde* & Auguſtinus lib. de bono conjug. *Noſtris temporibus*, inquit, *ac more Romano uxorem ſuperducere non licet, ut amplius habeat quàm unam vivam.* Factum quoque hinc, ut apud Scotos,

apud quos antehac polygamia erat uſitata, ſimulac illi religionem Chriſtianam fuerant amplexi, ea fuerit ſublata. Sic enim Polydorus Virgilius lib. 10. Hiſt. Anglic. *Fuit jam inde à principio apud Scotos inſtitutum, ſeu lex, ut liceret unicuiq; plures pro opibus ducere uxores, & nobilitati plebeiorum uxores habere communes, ac Domino loci virginem nuptam vitiare, antequam vir eam compreſſiſſet. Illa duo ſuperiora religio Chriſtiana ſtatim ſuſtulit, atq; eam Scoti ſunt complexi: iſtud poſterius longo poſt tempore Malcolmus, ſanctiſſimæ Margaritæ uxoris hortatu, uti inſtitutum poſt homines natos turpiſſimum, penitus exſtirpavit, qui ſanxit, ut virgo nupta numum aureum pudicitiæ redimendæ causâ Domino loci penderet, id quidem nunc ſervatur.*

XXXV. Idem fuit etiam ab aliis Chriſtianis promiſcuè obſervatum. Saltem Valentinianus Sec. IV. hic innovare quid auſus fuit, atque non ſolum ipſe Severæ, Conjugi ſuæ, aliam, Juſtinam videlicet, ſuperinduxit, ſed & legem tulit, ut cuilibet fas eſſet pro lubitu duas habere uxores, ſi Socrati habenda fides eſt. Sic enim ille lib. 4. Hiſt. Eccleſ. c. 26. *Juſtina orbata Patre, Præfecto provinciæ Picenæ ſub Conſtantio virgo permanſit. Poſteà, tempore progrediente, Severæ Imperatoris Valentiniani conjugi nota eſſe cœpit, crebroq; cum illâ venit in colloquium. Poſtquam verò crevit inter eas conſvetudo & familiaritas, eisdem balneis pariter lavabant. Idcircò Severa, ubi Juſtinam in balneis lavatam vidiſſet, virginis pulchritudine mirè capiebatur: cœpitq; de eâ apud Imperatorem verba facere: Juſti filiam virginem eſſe pulchritudine admodum admirabili, ſeq;, licet eſſet mulier, ejus forma adeo venuſtâ vehementer oblectari. Imperator uxoris verba mente interiori recondens conſilium de Juſtinâ in uxorem ducendâ iniit, Severâ, de qua Gratianum, quem paulò ante Imperatorē declaraverat, ſuſcepit, neutiquam*

repudiatâ,

repudiatâ. Quare legem tulit, ὥστε ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ δύο νομίμους ἔχειν γυναῖκας, καὶ προτίθησι κατὰ πόλεις, *ut cuiq; volenti liceret duas uxores habere legitimas, eamq; in ſingulis civitatibus divulgavit. Lege itaq; divulgata ipſe Juſtinam duxit uxorem: ex qua Valentinianum Juniorem, & tres filias Juſtam, Gratam, & Gallam procreavit: quarum duæ vitam in virginitate traduxerunt, Galla autem poſtea Theodoſio Magno in matrimonium collocata fuit, ex quâ Placidia filia ei nata eſt.* Hæc Socrates. Quem ſecuti hîc ſunt Caſſiodorus in Hiſtoriâ Tripartitâ lib. 8. c. 11. Paulus Diaconus Hiſtoriarum lib. 11. Nicephorus Calliſtus lib. 11. c. 33. & alii. Verùm non deſunt, qui totum hoc non hiſtoriam, ſed potius fabulam eſſe putant à Socrate confictam, vel potius ab aliquo è trivio acceptam. Neque rationes illis deſunt ſat ſpecioſæ. Nam primò auctorum Ethnicorum, qui res horum temporum deſcripſerunt, nullus eſt, qui hujus meminerit inſolentiæ, non Zoſimus, non Ammianus Marcellinus, nec alii, quos tamen vix credibile eſt hanc rem, ſi ita ſe reverâ habuiſſet, fuiſſe prætermiſſuros. Quia enim animo erant in Chriſtianos principes parum æquo, non facilè nævos, ſi quos in illis deprehendêre, ſubticere ſolent. Multò minus autem Valentiniano, ceu proximo Juliani, novi Gentiliſmi reſtauratoris in regimine à Joviano ſucceſſori, peperciſſent, præcipuè cum polygamia non ſolum à Romanarum rerum hiſtoricis, veluti Saluſtio in bello Jugurthino eſſet deriſa, ſed & ab aliis Imperatoribus Ethnicis, Valeriano & Gallieno, ut viſum nobis ſuprà, interdicta. Sanè erant Romani polygamiæ usque adeò infenſi, ut Svetonius nullus dubitarit ipſum Julium Cæſarem, quod introductum eam iviſſet, acriter increpare, quippe qui impudicitiam ſuam hoc ipſo prodidiſſet. Sic enim ille in vita ejus c. 52. *Helvidius Cinna Tribunus plebis plerisq; con-*

 feſſus

feſſus eſt, habuiſſe ſe ſcriptam paratamq; legem, quam Cæſar ferre juſſiſſet, cum ipſe abeſſet, uti uxores liberorum quærendorum causâ, quas & quot vellet, ducere liceret. Ac ne cui dubium omninò ſit, & impudicitiæ eum, & adulteriorum flagraſſe infamiâ, Curio Pater quadam eum oratione omnium mulierum virum & omnium virorum mulierem appellat. Quantò magis ergò legem Valentiniani Pagani perſtrinxiſſent, ſi quam pro polygamiâ tuliſſet? Aſt tale quid in iis non occurrit, quibus tamen aliàs Valentinianus paſſim malè audit. Certè Ammianus eum aperte vocat hominem propalam ferum. Et Zoſimus lib. 4. graviſſimum, βαρύτατον, eum fuiſſe ſcribit ſubditis, tributorum exactiones acrius urgendo eaque ultra conſuetum morem extorquendo indeque odium cunctorum in ſe excitaſſe, atque Afris anſam ad rebellionem adverſus Romanos præbuiſſe. Bigamum autem eum fuiſſe neuter ſcribit. Quin prior ille, Ammianus, inquam, nihil adeo in ipſo commendat, quàm caſtitatem. Hoc enim eum ornat elogio lib. 30. Hiſtoriarum: *Omni pudicitiæ cultu domi caſtus & foris, nullo contagio conſcientiæ violatus obſcenæ; nihil inceſtum: hancq; ob cauſam tanquam retinaculis petulantiam frenarat aulæ regalis, quod cuſtodire facile potuit, neceſſitudinibus ſuis nihil indulgens.* Juſtinam inſuper Virginem non fuiſſe, cum eam in matrimonio ſibi ſociavit Valentinianus, fidem facit Zoſimus. Teſtatur enim is lib. 4. apertè nuptam eam ante fuiſſe Magnentio tyranno, quando de Valentiniano juniore, quem ſenior ex Juſtinâ ſuſceperat, ſcribit: *Navem ingreſſus Theſſalonicam abiit, ſociâ navigationis Juſtina matre, quæ Magnentium prius maritum habuerat*, Μαγνεντίῳ πρὶν συνοικήσασα. Taceo quod Zonaras aliique duarum quidem ejus ſimul uxorum meminerint, legis non item, quodque nec Hieronymus, Oſorius,

Severus aliique plures, qui non multò poſt claruerunt, nec bigamiæ, nec legis pro illâ latæ ullam faciant mentionem: quemadmodum nec ex Græcis Sozomenus & Theodoretus, qui ejusdem Imperatoris res geſtas ſunt proſecuti. Subleſtæ ergò omninò fidei eſſe videtur relatio hæc Socratis, ut de quo Photius in Biblioc. c. 28. ἡ φράσις οὐδὲν ἔχει ἀξιόλογον, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς δόγμασιν οὐ λίαν ἐστὶν ἀκριβής, *Nec ſtylus illi admodum ſplendidus, nec in dogmatibus valdè eſt accuratus.* Uti autem in his non valdè accuratus eſt, ſic & non bona ſemper fide in rebus ad hiſtoriam pertinentibus fuit verſatus, ceu jam dudum viri docti obſervarunt. Sed verum ſit, quod memorat ille de Valentiniano, probata tamen ideò polygamia ejus non fuit, nec lex de polygamia, ſed rejecta potius utraque à Chriſtianis. Sicut Claudius Cæſar cum videret non licere ſibi per leges ducere filiam fratris ſui, legem quidem tulit, ut liceret, ſed vix unus aut alter paraſitus inventus eſt, qui illud factum ſequi vellet & imitari: Ita evenit & Valentiniano cum ſuâ lege, ſi eam reverà tulit. Utræque enim iſtæ leges prorſus extinctæ fuere & ſepultæ neque vel veſtigium ſaltem earum extat ſive in Codice, ſive in Digeſtis. AT PATRES, inquies, ID IN VALENTINIANO NON REPREHENDERUNT? Si figmentum eſt, quod de eo hìc refertur, id mirum non eſt. Si autem veritati ſuffultum, unde conſtat Patres id non reprehendiſſe? Namque non omnium Patrum dicta & facta monumentis fuerunt mandata. Satis tamen illi de cætero in ſcriptis ſuis ſignificaverunt, quid de ejusmodi facto & lege ſentirent. Neque verô ſecundæ nuptiæ, quas cum Juſtinâ contraxerat Valentinianus, proſperum ſortitæ fuere eventum. Juſtina enim illa evaſit Ariana, turbasque Mediolani poſt obitum viri non leves cœpit ciere adverſus Ambroſium aliosque

Catho-

Catholicos. Cum enim acceptiſſet, Sirmienſem Eccleſiam Paſtore eſſe deſtitutam, properabat illuc, ut Antiſtitem ei præficeret Arianum. Sed reſtitit ei Ambroſius atque poſt multas diſſenſiones Anemmium ſive Avennium, virum Catholicum, Epiſcopum conſtituit ejusdem civitatis, ut memorat Paulinus in vitâ Ambroſii. Ea tamen nihil inde melior facta etiam deinceps rebus Arianorum favens Valentinianoque Juniori filio ſuo perſvaſit, ut non ſolum Catholicorum baſilicas vi oppugnare auderet, quo Ambroſius captus in exilium mitteretur; ſed &, promulgato edicto permitteret Arianis, agere conventus. Edictum hoc etiamnum lege 4 Codicis Theodoſ. de fide Catholicâ invenitur atque ita habet: *Damus copiam colligendi his, qui ſecundum ea ſentiunt: quæ temporibus divæ memoriæ Conſtantii, Sacerdotibus convocatis ex omni orbe Romano expoſitâq; fide, ab his ipſis, qui diſſentire noſcuntur, Ariminenſi Concilio, Conſtantinopol. etiam confirmatâ in æternum manſura decreta ſunt: conveniendi etiam, quibus juſſimus, pateſcat arbitrium: ſcituris his, qui ſibi tantum exiſtimant colligendi copiam contributam, quod ſi turbulentum quippiam contra Noſtræ Tranquillitatis præceptum faciendum eſſe tentaverint, ut ſeditionis auctores pacisq; turbatæ Eccleſiæ, etiam majeſtatis, capite ac ſanguine ſint ſupplicia luituri. Manente nihilominus eos ſupplicio, qui contra hanc diſpoſitionem noſtram obreptitiè aut clanculò ſupplicare tentaverint.* Exaratum autem fuiſſe decretum illud atque tentatum inſuper adverſus Catholicorum templa & ſanctum Ambroſium id, quod paulo ante diximus, impulſu Juſtinæ, matris Imperatoris, conſtat ex iis, quæ de eâdem lege referunt Ruffinus & Sozomenus. Sic enim prior ille lib. 2. Hiſt. Eccleſ. c. 15. & 18. *Juſtina interim mater ejusdem* (Valentiniani) *Arianæ hæreſeos alumna, impietatis ſuæ*

ſuæ venena, quæ vivente viro ſuppreſſerat, filio facilè decepto, fidenter aperuit. Igitur apud Mediolanum poſita conturbare Eccleſiarum ſtatum, comminari Sacerdotibus depoſitionis exilia, niſi Ariminenſis Concilii decreta, quibus fides Patrum temerata fuerat, revocarent. Quo bello Eccleſiæ murum & turrim validiſſimam pulſabat Ambroſium: eumq; ruinis, terroribus atq; omni oppugnationis genere fatigans, primum ſibi aditum debellandæ rimabatur Eccleſiæ. Sed quamvis illa Jezabel Spiritu pugnaret armata, reſiſtebat tamen Ambroſius Heliæ virtute repletus & gratiâ. Ipſa autem in Eccleſiis garrire, ſtrepere, animare & inflammare ad diſcordiam populos: ſed quod minus res ex ſententiâ cederet, injuriam putare & pro hac apud filium conqueri. Unde adoleſcentulus pro contumeliæ invidiâ, quàm falsò conflaverat mater, accenſus, armatorum globum ad Eccleſiam mittit: confringi januas, oppugnari ſancta, Sacerdotem protrahi atq; in exilium mitti protinus jubet. Sed tanta fuit perſeverantia fidelium populorum, ut animas prius amittere, quam Epiſcopum mallent. Interim dictanda adverſum fidem Patrum imperialia decreta mandantur Benevolo tunc memoriæ ſcriniis præſidenti. Sozomenus autem lib. 2. c. 13. idem his verbis narrat: *In Italiâ tunc agebat Valentinianus adbuc juvenis. — Quo tempore Juſtina, Imperatoris mater, Arianæ ſectæ fautrix, Ambroſio Mediolanenſium Epiſcopo negocium faceſſebat, & Eccleſias turbabat, nova tentans adverſus decreta Concilii Nicæni: & ſtudioſè id agens, ut Ariminenſis Concilii fides prævaleret. Cæterum cum illi adverſaretur Ambroſius, indignata calumniatur eum apud filium, per inde ac ſi ab eo contumeliis affecta eſſet. Valentinianus igitur calumnias eas veras eſſe ratus, matris vindicandæ titulo militum turbam Eccleſiæ immittit: qui quidem facto in templum impetu per vim irrumpunt intro & Ambroſium raptant è veſtigio in exilium*

Q abdu-

abducturi. Sed ab Eccleſiâ circumfuſa multitudo militibus reſiſtit, & vel mori citius, quàm Sacerdotem deſerere ſtatuit. Ex hac causâ Juſtina majori etiamnum irâ excanduit, & edicto roborari conatus ſuos voluit. Accito igitur Benevolo, qui decretorum ſcribis tunc præfectus erat, mandavit, ut legem quam ocyſſimè conderet, in confirmationem fidei per Ariminenſe Concilium promulgatæ. Quod quidem negotium cum ille verecundè detrectaret — alii reperti ſunt, qui ad hujusmodi legis compoſitionem deſervirent. Mandabat verò lex iſta, ut intrepidè convenirent, qui eandem ſectarentur, fidem, quàm illi, qui Armini & poſteà Conſtantinopoli congregati fuerant: utq; illi qui aut his ipſis obſtitiſſent, aut Imperatoris legi contraria tentaſſent, morte mulctarentur. Repetunt hæc & Caſſiodorus lib. 9. Hiſt. Tripart. c. 20. & Nicephorus, lib. 12. Hiſt. Eccleſ. c. 19.

XXXVI. Porrò poſt Valentiniani tempora non invenimus quemquam Chriſtianorum in primo millenario affectaſſe polygamiam. Erat enim prorſus ex Eccleſiâ ejecta atque exterminata, adeò ut & Lotharius Rex Lotharingiæ, Galliâ Belgicâ ſitæ, cùm amore pellicis cujusdam Waldradæ, quam ab ipsâ infantiâ conſvetudine puerili amarat, percitus uxorem illam accipere decreviſſet, non auderet eam Theutpergæ vel Thietbergæ Reginæ, cui matrimonio jam junctus erat, ſuperinducere, ſed cum Epiſcopis potius quibusdam Regni ſui egregiisq; aſſentatoribus è quibus primarii erant Thietgaudus & Guntharius Archiepiſcopi, ageret, ut convocata tàm Aquisgranenſi quàm Metenſi Synodo, Theutpergæ causâ cognitâ (quæ falsò inceſtus cum proprio fratre incuſata ſcelus illud publicè confeſſa referebatur) matrimonium cum eâ initum prius diſſolveretur, ipſique quod continere non posſet, mentienti aliam uxorem ducere permitteretur, ceu

patet

patet ex Actis hujus Concilii apud Baronium ad annum Chriſti 862. Verùm ægrè id tulit Nicolaus Pontifex, qui tum clavum navicolæ Eccleſiæ Romanæ moderabatur, monens eum, ut Waldradâ dimiſſâ priori ſuæ conjugi junctus maneret; alioqui enim fore, ut diſtrictâ ultione, id eſt, excommunicationis pœnâ feriretur. *Annon diſtrictâ*, ſcribebat ad illum, *ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech & flagitium imitatus eſſe dignoſceris? Quod Dominus non niſi poſt LXXII. generationes ſuo ſalutifero adventu delevit: cum Cain fratricidium ſeptima generatione aquis abolitum ſit cataclyſmi.* Referuntur verba hæc in Corpore Canonico causâ 24. quæſt. 3, capit. 19. Neque in eo acquievit Nicolaus, ſed Epiſcopos, qui Concilio prædicto præfuerant, Romam vocabat, ut ipſi verbis ac ſcriptis ſatisfacerent. Cumque illuc adveniſſent paucis interpoſitis diebus ad Synodum, quam congregaverat, acceſſi eos juſſit, ubi eorum damnata & anathematiſata ſunt ſcripta, & ipſi, omnibus adjudicantibus Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis. ſunt depoſiti & omni Eccleſiaſticâ dignitate privati, ut refert Regino lib. 2. Chronicorum. Sed & Synodum ab ipſis habitam penitus abolevit. Sic enim habet decretum Synodale Apoſtolicæ ſedis, cujus & in Annalibus Francicis, ab Autore incerto ex Bibliotheca P. Pithæi JCti editis, fit mentio: *Synodum, quæ nuper ſi ſub piiſſimo Imperatore Ludovico per indictionem* 11. *menſe Junio in Metenſium urbe ab Epiſcopis, qui noſtrum prævenerunt judicium, collecta eſt, quiq; Apoſtolicæ ſedis inſtituta temerè violaverunt, ex tunc, & nunc & in æternum judicamus eſſe caſſatam & cum Epheſino latrocinio repudiatam Apoſtolicâ autoritate in perpetuum eſſe ſancimus damnandam, non vocari Synodum, ſed tanquam adulteris favens proſtibulum appellari decernimus.* His porrò peractis

 Nicolaus

Nicolaus Secretarium & Conſiliarium ſuum Arſenium Epiſcopum in Franciam miſit, quo Regem moneret, ut Conjugi ſuæ, abdicato pellicis conſortio, reconciliaretur aut anathematis pœnam præſtolaretur, quod & ipſum & eventum ſimul ejus rei his verbis deſcribit Regino lib. 2. Chronicorum: *Anno Dominicæ incarnationis 866. Arſenius Epiſcopus, Apocriſiarius & Conſiliarius Nicolai Papæ, vice ipſius directus eſt in Franciam: quò perveniens tantâ autoritate & poteſtate uſus eſt, ac ſi idem ſummus Præſul adveniſſet. Convocato deniq; Epiſcoporum conventu Lotharium Regem alloquitur, ut unum è duobus eligat; aut propriæ reconcilietur uxori: abdicato Waldradæ pellicis conſortio; aut protinus anathematis gladio feriretur, ipſe omnesq; ei in hoc ſcelere favorē præſtantes. Hac neceſſitate compulſus vel conſtrictus, vellet, nollet, Thietbergam Reginam in matrimonium recepit, interpoſito jurisjurandi ſacramento, ſe illam ita in reliquum habere, ſicut æquitatis jura dictant legitimam uxorem eſſe tenendam, ne eam à ſe ſepararet, nec ipſâ vivente aliam ſuper eam induceret. Verùm non ſervavit juramentum hoc. Non multo enim poſt Waldradæ ejusq; complicum fraude animus ejus adverſus Reginam denuò commovebatur, ut eam iteratò deſpiceret & abominaretur, adulterii crimen impingens omniq; ingenii arte exquirens, qualiter puniri quaſi rea poſſet. Quod cum, famâ divulgante, Nicolaus cognoviſſet, non ſolùm Waldrandam ipſo die Purificationis ſanctæ Mariæ Dei genetricis in baſilicâ excommunicavit & ab omni Chriſtianorum conſortio ſeparavit, deſtinatâ epiſtolâ omnibus Epiſcopis, per Germaniam & Gallias*

lias conſtitutis, cauſas & modum excommunicationis continente : Sed & ad ipſum Lotharium Regem epiſtolam miſit hujus argumenti : Audito revertenti miſſo noſtro correctionis tuæ (ut ita dicamus) initio, gratias Deo condignas egimus : & ut tibi quoq; grates quoq; competibiles referremus, animum præparavimus. Sed heu adverſa nuntia hujus intentionis noſtræ propoſito celeriter obviaverunt. Quapropter compulſi ſumus mutare vocem & qui ad gratiarum actiones os aperire diſpoſueramus, in luctus & increpationes ad hoc officium linguæ coacti dirigimus. Didicimus enim te, qui prolixo tempore in ſcelere permanens Eccleſiæ Dei non modicum nocuiſti, nocere adhuc, & qui in ſordibus eras, ſordeſcere adhuc: ſiquidem, ut opinamur, tibi non ſufficit ſolum ADVLTERIVM perpetraſſe, niſi apponas, ut etiam animas hominum, perjurii laqueis irretitas, in extremum demergas interitum. Sed quid mirum, ſi paucorum animabus perjurio exitium acquiſiviſti: quando in tantâ ſublimitate poſitus per exemplum TVÆ MOECHÆ tot hominum millia in perditionis chaos præcipitaveris. Illud autem quod Thietberga, quaſi Waldradæ teſtimonium dicens, eam fuiſſe tuam legitimam uxorem, volens aut invita fruſtra conetur aſtruere, quandoquidem illius nullus prorſus hinc teſtimonio quis indigeat, cum magis nos ita ſentiamus, quod juſtum eſt, & intelligamus, quod æquum, ut etiam Thietbergâ mortuâ, nullis regulis, nullis legibus, unquam Waldradam in uxorem poſſis aut permittaris aſſumere. Vtrum ergò Waldrada legitima tua fuerit aliquando conjux, Eccleſia

Dei ſatisfactione Thietbergæ non eget. Vnum tamen ſcimus, quoniam nec nos, eadem Eccleſia Dei, authore Deo, qui ADVLTEROS judicabit, te, ſi Waldradam quandocunq; reſumpſeris, etiam Thietbergâ decedente, dimittet modis omnibus impunitum. --- Itaq; ſummo ſtudio præfatam Thietbergam, Conjugem tuam, tanquam propriam fovere carnem ac diligere procurato, & ne illam à te ſeparare ullo pacto conſentias, vigilanter attende: unde ſi vult à te diſcedere, corrige, imo corripe eam & à tali intentione per omnia revocare ſatage. Iam verò ſi amore pudicitiæ, ſeparationem quærat & conjugalis connubii ſolutionem efflagitet, certum eſt Apoſtolo dicente: Quoniam mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. --- Igitur conſilium noſtrum accipe, & monita noſtra tanquam affectuoſi Patris amplectere atq; ab omni pravitate mentem, linguam corpusq; refrena, præcipuè Waldradæ pellicis tuæ, & dudum à te repudiatæ communionem declinans & ejus conſortium perpetuæ oblivioni contradens. Excommunicata eſt enim & usq; ad præſentiam noſtram ab omni Chriſtianorum contubernio ſequeſtrata, ſicut jam totus novit Occidens & jam quoq; per miſſos noſtros minimè cum plagis cæteris Oriens ignorabit. Quamobrem cavendum eſt, ne cum eâ pari mucrone percellaris ſententiæ ac pro unius mulierculæ paſſione & breviſſimi temporis deſiderio, vinctus & obligatus ad ſulphureos fœtores & ad perenne traharis exitium. -- Hæc nunc tibi ſcripſiſſe, & quaſi inter nos & te noſtra verba, exceſſus tuos corripientia, diſcurriſſe ſufficiat. Cæ-

terum præcave, ne cum nobis ſecundum præceptum duos aut tres teſtes adhibeamus, imò verò ne hoc Eccleſiæ ſanctæ dicamus, & quod non optamus, de cætero fias ſicut Ethnicus & Publicanus. Verùm parum admonitione ſuâ profecit apud Lotharium Nicolaus. Adduci enim non potuit, ut pellicem, quam denuò, repudiatâ uxore, receperat ablegaret. Intereà moritur Nicolaus, eique in Pontificatu ſuccedit Adrianus, ad quem Lotharius excuſatum ſe vadit prætendens ſe omni vigilantiâ Nicolai monita obſervaſſe, non aliter ac ſi divinitus ſibi fuiſſent imperata, provocans ad procerum & optimatum, qui cum eo venerant teſtimonium. Qui idem confirmabant non auſi adverſus regiam autoritatem legitimum controverſiæ inire certamen. Quam ob cauſam eum ad confeſſionem admiſit Pontifex finitisque miſſarum ſolennibus invitavit ad menſam Chriſti accepto in manibus corpore & ſanguine Domini ita eum alloquens: *Si innoxium te* (ſunt iterum verba Reginonis) *recognoſcis atq; interdicto tibi à Nicolao adulterii ſcelere & hoc fixâ mente ſtatutum habes, ut nunquam diebus vitæ tuæ Waldradæ pellicis tuæ dudum à te repudiatæ miſcearis NEFARIO CONCUBITU, fiducialiter accede & ſacramentum ſalutis æternæ tibi ad remiſſionem peccatorum profuturum percipe: ſi autem tua conſcientia te accuſat, te lethali vulnere ſauciatum proclamat, aut iterum redire mente diſponis in MOECHIÆ volutabrum, nequaquam ſumere præſumas, ne fortè ad judicium & condemnationem tibi adveniat, quod fidelibus ad remedium præparavit divina providentia. Sed hic mente captus*, pergit Regino, *obduratus pariter & occæcatus, abſq; retractatione communionem corporis&*

ris & ſanguinis Domini de manu Pontificis ſumpſit, non expaveſcit illam ſententiam, quæ dicit, Horribile incidere in manus Dei viventis. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit. Deinde (ita denuò Regino) *converſus idem præſul ad ſequaces ac fautores Regis, unicuiq; communionem obtulit in hæc verba: Si Domino ac Regi tuo Lothario in objecto ADVLTERII crimine fautorem non præſtitiſti, neq; conſenſum præbuiſti, & Waldradæ & aliis ab hac ſede excommunicatis non communicaſti, corpus ac ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti proſit tibi in vitam æternam. Igitur quisquis in his ſe læſum ſciens auſu temerario communionem ſub tali conteſtatione porrectam ſumere præſumpſit, divino judicio percuſſus, ab hac luce ſubtractus eſt, antequam ſubſequentis anni rediit principium: perpauci, qui ſe à communione ſubtraxerunt, vix mortis periculum evaſerunt. Lotharius autem, Româ egreſſus, morbo correptus & Placentiam civitatem perveniens, diem clauſit extremum VI. Idus Auguſti. Tanta inſuper ſtrages in præfati Regis populo facta eſt, ut non peſte periiſſe, ſed hoſtili gladio corruiſſe virtus ac nobilitas totius regni videretur, quæ eo tempore tantæ fœcunditatis erat, ut in modum denſarum ſegetum pullulans, veluti quoddam examen imperii fines impleverit.* Hactenus Regino. Cui ſuccenturiatur & Sigebertus Gemblacenſis in Chronographiâ ſua. Sic enim ille ad annum 862. *Lotharius Rex Lotharingiæ Waldradam pellicem ſuperducens Conjugi ſuæ Tetbergæ, conſentientibus ſibi Archiepiſcopis Gunthario Colonjenſi*

lonienſi, & Tetgaudo Trevirenſi magnam ſibi calamitatem paravit. Ad annum autem 863. *Gunthарius & Thetgaudus Archiepiſcopi Romæ à Papâ Nicolao pro ADVLTERIO Lotharii Regis examinati, cum & ſuis ſynodalibus geſtis, quæ præferebant, & ſuorum ore etiam convicti fuiſſent, epiſcopatu & ſacris gradibus exordinati, anathematizati ſunt.* Porrò ad annum 864. *Excommunicatâ pellice Waldradâ à Legato Apoſtolico videns Lotharius Rex etiam ſibi excommunicationem intentari, Thetbergam uxorem ſuam recepit, ſed non multum id profuit, quia non multò poſt, repudiatâ uxore, pellicem recepit, nec ullo correctionis modo ab eâ ſeparari potuit.* Denique ad annum 870. *Lotharius Rex Romam ad Adrianum Papam ſe excuſatum valit, à quo dum pro comprobatione innocentiæ ſuæ ad examinationem corporis & ſanguinis Domini tam ipſe, quam optimates regni invitati fuiſſent, & ipſe & omnes, qui corpus Domini noſtri cum eo temerè accipere præſumpſerunt, intra ipſum annum perierunt, ipſo ſtatim in redeundo Placentiæ defuncto.* Sed & legi hic merentur verba Werneri Rolevinckii, qui in Faſciculo temporum ad annum 874. de Adriano II. verba faciens ſcribit: *Iſte Adrianus excommunicavit Lotharium, fratrem Imperatoris, Regem Lotharingiæ PROPTER ADVLTERIVM: ſed cum ille Romam veniens, ut excuſaret ſe, communicaſſet indignè cum optimatibus ſuis, omnes intra annum mortui ſunt: & Rex in viâ mortuus eſt, cum venit Placentiam.* Videri poſſunt & Marianus Scotus lib. 3. Chron. Ætate 6. ad annum

Servātoris 868. H. Mutius lib. 11. de Germanorum ritibus; Chronicon magnum Belgicum nec non Annales Francorum Fuldenſes ad annum 866.

XXXVII. Sed nec ſubſequentibus temporibus facilè aliqui ex Chriſtianis nominabuntur, qui polygamiam affectarint, exceptis Abyſſinis, quorum Reges plures ducere ſolitos fuiſſe uxores, Paulus Jovius lib. 18. Hiſtoriarum ſui temporis teſtatur his verbis: *Is* (Rex Abſſynorum) *quatuor uxores finitimorum Regum filias connubio ſibi jungit, ſed cum unâ rite & ſanctius deſponſatâ cubat: quæ ſi ſterilis evadat, una è cæteris regium torum ſubit.* Sed & alios Abyſſinorum idem facere teſtatur Nicolaus Codignus lib. 1. de Abyſſinorum rebus c. 36. *Conſtat, quod ſuo quemque arbitrio absq; ullâ ſive Imperatoris, ſive alterius cujusque facultate conjugia inire, & ſingulos etiamnum, quot lubet, uxores ducere, easq; vel levibus de cauſis repudiare.* Verum id ab illis de facto, non de jure & non conſentientibus, ſed reluctantibus Clericis. Quod teſtatur & Franciſcus Alvarez, qui ipſemet Abyſſinorum terram perambulavit atque mores ipſorum non fugitivo oculo luſtravit, in Itinerario ſuo c. 10. Verba ejus in Latinam linguam converſa ita habent. *Receptum quoq; apud illos uſu eſt, cum non exigua inter eos ſit fœminarum copia, ut viri divites duas aut tres ducant uxores, quod ab Imperatore & magiſtratu Politico ipſis permittitur, ab Eccleſiâ tamen prohibetur. Quotquot enim conjuges unâ plures habent, iis Eccleſiam intrare non conceditur, multò minus autem ad communionem aut ulla alia Eccleſiæ ſacramenta admittuntur, ſed pro excommunicatis habentur. Quamdiu enim ibi*

(Barvæ,

(Barvæ, quæ urbs eſt Abyſſiniæ, inter Chaxumum & Ercocum urbes, juxta Marabum fluvium ſita) *commorabamur, ego & conſanguineus meus diverſabamur in domo cujusdam, cui nomen erat Ababitay, is tres habebat uxores, quas omnes vidimus, amicè & benevole ab iis excepti, mihiq; retulit, ſe triginta ſeptem ex illis ſuſcepiſſe liberos, nemine ipſum ab illis probibente, niſi quod Eccleſia ipſi communionem denegavit. Antequam autem inde abiremus, duas ex illis à ſe dimiſit, tertiâ, & quidem eâ, quàm poſtremò duxerat, retentâ. Propterea ad ſacramenta iterum fuit admiſſus atq; poteſtatem accepit frequentandi rurſum Eccleſiam non ſecus ac ſi unius tantum matrimonio junctus fuiſſet.*

XXXIIX. Unde non audiendus Thomas Cajetanus, quando in Comm. ad N. T. ait *JURE DIVINO nunquam prohibitam fuiſſe* uxorum pluralitatem. Si enim id de temporis Novi Teſtamenti intelligatur, oppidò *falſum eſt.* Multo minus audiendus eſt Bernardinus Ochinus, qui *callidiſſimè impudentiſſimeq; in Dialogis illis ſuis,* à Sebaſtiano Caſtellione Latinè ex Italicâ linguâ converſis, *defendit polygamiam; ſed Tiguro in exilium eſt ejectus & impurus Apoſtata, Arianus quippe, factus,* ut refertur de illo in Bibliothecâ Conradi Geſneri, per Joannem Friſium aucta, fol. 115. a. Durandus de S. Portiano autem ſuſtinet quidem lege naturæ haud prohibitam eſſe polygamiam, ſed à Chriſto fuiſſe prohibitam non negat: quin fatetur apertè in 4 ſentent. diſt. 33. q. 1. §. 15. ſcribens: *Quamvis non oporteat illud eſſe malum, quod deficit ab optimo, tamen omne illud eſt malum, quod deficit à debito; pluralitas ergò uxorum in antiquis Patribus ante legem & ſub lege non fuit mala, quamvis deficeret ab optimo ſtatu, quo matrimonium fuit primitus inſtitutum, ut eſſet una unius, quia talis conditio non debuit eſſe in eorum matrimonio propter neceſſitudinem multitudinis gene-*

ris humani, quæ plus poteſt fieri cum pluribus uxoribus quàm cum una. Sed poſtquam PLURALITAS talis REVOCATA eſt per Chriſtum, & matrimonium reductum AD PRIMUM STATUM, ut ſit UNA UNIUS, ex tunc defectus hujus conditionis debitæ reddit matrimonium ILLICITUM, imo NULLUM, quin ſecundum ſententiam Domini eſt MOECHIA vel ADULTERIUM. Et poſtea: §.18. *Argumenta in oppoſitum probant, quod habere plures uxores non eſt illicitum de ſe, ſed potuit eſſe licitum propter multiplicationem humani generis tempore neceſſitatis, propter paucitatem hominum adhibitis aliis circumſtantiis: eſt tamen ILLICITUM IN NOVA LEGE EX PROHIBITIONE Chriſti.* Non alia eſt mens & Toſtati Abulenſis. Quamvis enim & ille prolixè diſputat polygamiam non eſſe omninò contra legem naturæ, fuiſſeque eam licitam & ante legem per Moſen datam, & ſub eâ, addit tamen à Chriſto eam ſub N.T. eſſe ſublatam. *Fuit tunc*, ait inter alia multa quæſt. 32. in Matth. 19 *multitudo uxorum licita, quia Deus non vetuit eam, & habebat aliquem bonum reſpectum, NUNC autem expreſſè vetuit illum Chriſtus, quod magis aperit in libello repudii, quem à Moyſe dicit datum, & tamen ipſe illum nunc tollit.*

XXXIX. Sed quid dicemus de loco Pauli I. Tim. III, 2. & Tit. I, 6. *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum?* Iſtis enim verbis ſolis Sacerdotibus videtur dempta facultas plures habendi uxores, cæteris autem ea eſſe permiſſa. Quaſi imitandus hîc ſit Sacerdotibus Chriſtianorum mos Ægyptiorum, apud quos plures habere uxores cuivis erat liberum, Sacerdotibus tamen exceptis, teſte Diodoro Siculo lib. 1, c. 80. verbis jam ante adductis, quæ Græcè ita habent: Γαμȣ̃σι γὰρ ἀπ᾽ Αἰγυπτίοις οἱ μὲν ἱερεῖς μίαν, τῶν δὲ ἄλλων ὅσας ἂν ἕκαςοι προαιρῆται *In matrimonium Ægyptiorum Sacerdotes*

cerdotes unam, alii, quot quis velit, ducunt. Nempe tolerabatur ætate Pauli, quin & poſtea adhuc, inter Judæos polygamia. Unde & Joſephus lib. 17. Antiquit. c. 1. *Mos,* inquit, *nobis eſt patrius plures ſimul uxores habere.* Et Juſtinus Martyr in Dial. cum Tryphone Judæo: *Magiſtri veſtri ad hoc usq; tempus & quatuor & quinq; uxores unumquemq; veſtrum habere permittunt.* Sed & apud gentes omnes Polygamiam tunc, quin neque dehinc omninò fuiſſe improbatam, ex iis, quæ ſuprà adduximus, ſatis eſt manifeſtum. Vixerunt enim plerique ex auctoribus iſtis, quos, Indis, Thracibus, Parthis aliisque polygamiam in uſu fuiſſe, confirmare diximus, poſt Pauli ætatem. Ita verò cum res comparata eſſet, facilè fieri poterat, ut etiam ex polygamis aliqui accederent ad Chriſtianiſmum. Hos ergò à Chriſtianiſmo quidem non eſſe repellendos, ſed, polygamiâ non obſtante, recipiendos, ad miniſterium tamen, quamdiu plurium matrimonio juncti eſſent, haud eſſe admittendos Apoſtolum indicare iſtis voluiſſe, illi arbitrantur. Jam non diffitemur eſſe ex veteribus etiam, qui verba Apoſtoli de poteſtate plures ſimul habendi uxores interpretantur. Ita enim Hieronymus Comm. in Tit. I. *Quidam de hoc loco ita ſentiunt: Judaicæ, inquiunt, conſuetudinis fuit, vel binas uxores habere vel plures, quod etiam in veteri lege de Abraham & Jacob legimus. Et hoc nunc volunt eſſe præceptum, ne is, qui Epiſcopus eſt, uno tempore duas pariter habeat uxores.* Et Epiſt. 83. ad Oceanum idem Hieronymus ſcribit: *Hoc, quod dicit* (Paulus) *Unius uxoris virum: poteſt & aliter diſſeri. Ex Judæis erat Apoſtolus. Prima Chriſti Eccleſia de Iſraël reliquiis congregabatur. Sciebat lege conceſſum; & exemplo Patriarcharum ac Moyſi familiari populo noverat in multis uxoribus liberos ſpargere: ipſis quoque ſacerdotibus hujus licentiæ patebat arbitrium.*

Præcepit ergò, ne eandem licentiam Eccleſiæ ſibi vendicent Sacerdotes, ne bina pariter & trina conjugia ſortiantur, ſed ut ſingulas uno tempore uxores habeant. Approbat hanc expoſitionem etiam Chryſoſtomus homil. 10. in 1. Tim.3. *Non hoc velut ſanciens dicit, quaſi non liceat absq; uxore Epiſcopum fieri, ſed ejus rei modum conſtituens. Judæis quippe licitum erat etiam ſecundo matrimonio jungi & duas itidem ſimul habere uxores.* Theodoretus adhæc in 1. Tim.3. *Illud autem unius uxoris virum mihi videntur quidam rectè dixiſſe. Olim enim conſueverant & Græci & Judæi cum duabus & tribus, & pluribus etiam uxoribus ſimul jungi lege matrimonii. Quin etiam nunc, cum leges Imperatoriæ prohibeant duas ſimul uxores ducere, rem habent cum concubinis & meretricibus. Dixerunt ergò divinum dixiſſe Apoſtolum, eum, qui cum unâ uxore pudicè cohabitat, dignum eſſe, qui ordinetur Epiſcopus.* Theophylactus inſuper ad 1.Tim.3. *Porrò non ut legem ſanciat, hoc dicit, quaſi omnino oporteat Epiſcopum uxoratum eſſe. Quî enim iſtud ſtatuerit, cum aliàs dicat* (I.Cor. VII,7.) *Volo vos omnes eſſe, ſicut me ipſum. Verùm quia tempus ita tum poſtulabat: Si contingat, inquit, ſit unius uxoris vir. Id verò Judæorum cauſa dicebat. Illis enim permittebatur polygamia.* Denique & Oecumenius ad 1.Tim. 3. *Non ſtatuit, ut ab uxore pendeat Epiſcopus, ut uxorem neceſſariò habeat, ſed ſi fiat, inquit, è mundanis,* ἀπὸ κοσμικῶν, *ſaltem non ſit bigamus.* Ubi per κοσμικοὺς intelligit eos, qui rebus, ad hoc ſeculum pertinentibus, quomodocunque ſunt immerſi, quibus opponuntur ἀποκόσμιοι, procul à mundo degentes, ſive in receſſu & monaſterio viventes, quos μονάζοντες Chryſoſtomus vocare conſuevit. *VERUM inde nondum ſequitur ad hanc legem ſolos Epiſcopos ſive Sacerdotes eſſe adſtrictos.* Requirit enim iisdem locis ab Epiſcopo Apoſtolus & ſobrietatem, hoſpi-

talitatem,

talitatem, æquitatem, moderationem, manſvetudinem & alia talia, quæ tamen alibi à Chriſtianis exigit ſine diſcrimine. Uti ergò has quidem virtutes Laicos vult complecti, multo magis verò incumbere iis Sacerdotes: Ita & una uxore vult quidem Chriſtianos omnes eſſe contentos ſed maximè omnium Sacerdotes. Ita ſanè intellexit verba Apoſtoli Auctor Comment. Hieronymo adſcriptorum in 1. Tim. 3. Ad verba enim iſta: Unius uxoris virum ita commentatur: *Viris nec hoc licet, quod velati incedant: multo magis illa, quæ etiam Laicis prohibentur, veluti ſimultanea digamia.*

XL. Verùm quamvis demus, ſingulare quidpiam hic à Sacerdotibus fuiſſe requiſitum, *nondum tamen inde inferre licebit polygamiam fuiſſe vulgo Chriſtianorum permiſſam.* Nihil enim obſtat, quo minus verba Apoſtoli non de matrimonio aut juribus dotalibus, ſed de ipsâ cohabitatione intelligamus, ut hic ſit eorum ſenſus: Presbyter ſit unius uxoris vir, id eſt, nullam aliam norit, cum quâ carnaliter miſceatur præterquam unicam uxorem. Vox enim ἀνὴρ non ſemper legitimum matrimonium connotat, ſed & quandoque generalius ſexus maſculini copulationem, etiam illegitimam, deſignat. Unde eſt illud apud Sophoclem in Trahiniis: Ταῦτ' οὖν φοβοῦμαι μὴ πόσις μὲν Ἡρακλῆς ἐμὸς καλῆται τῆς νεωτέρας δ' ἀνήρ, *Hoc nunc vereor, ne maritus quidem meus Hercules dicatur ut junioris vir*, Et Phercirates: Ἀνὴρ, inquit, ἁπασῶν τῶν γυναικῶν δεῖ νῦν. Cui congruit illa Curionis de Julio Cæſare ſententia, quæ omnium eum mulierum virum appellabat, apud Svetonium in Julio Cæſare c. 52. *Virtutum Magiſter Apoſtolus eſt*, ait Ambroſius l. 3. Epiſt. 25. prædicta verba Apoſtoli expendens, *qui cum patientiâ redarguendos doceat contradicentes, qui unius uxoris virum præcipiat eſſe: non quo exortem exclu-*

dat

dat conjugii, nam hoc ſupra legem præcepti eſt, ſed ut conjugali caſtimonia ſervet ablutionis ſuæ gratiam. Et Oecumenius: Ε δέτω τὴν νομικὴν μόνην, *Solam unam noverit, quæ legitima fuerit.* Uxor νομικὴ ſive legitima dicitur, quam quis juxta ſacros canones lege publicâ ſibi copulari fecit. Cui non ſolum meretrix opponitur, quæ viris promiſcuè, acceptâ mercede, commiſcetur, ſed & diſtinguitur ab eâ CONCUBINA, quæ uni duntaxat viro ſui copiam facit, & pro verâ uxore ab eo habetur, ſine ſolennitatibus tamen Eccleſiæ eſt ducta, indeque media veluti eſt inter uxorem legitimam & meretricem. Ejusmodi *CONCUBINAM UNICAM loco uxoris legitimæ habere erat olim in Eccleſiâ permiſſum.* Patet id ex Clemente Romano aut quicunque Autor eſt Conſtit. Apoſtolicarum lib. 8 c.32. *Amica cujuspiam infidelis mancipium, quæ cum eo tantum rem habuerit, admittatur, ſin verò cum aliis quoque impudica fuit, repellatur.* Sed & referenda huc ſunt verba iſta Auguſtini ex lib. de bono conjugali c. 5. *Solet quæri, cum maſculus & fæmina, nec ille maritus, nec illa uxor alterius, ſibimet non filiorum procreandorum, ſed pro incontinentiâ ſolius concubitus causâ copulantur, eâ fide mediâ, ut nec ille cum alterâ, nec illa cum altero id faciat, utrum nuptiæ ſint vocandæ? Et poteſt quidem fortaßè non abſurdè hoc appellari connubium, ſi usq; ad mortem alicujus eorum id inter eos placuerit: & prolis generationem, quamvis non causâ conjuncti ſint, non tamen vitaverint, ut vel nolint ſibi naſci filios, vel etiam opere aliquo malo agant, ne naſcantur.* Ulterius Concilium Toletanum, I. can.17. ſtatuit: *Si quis habens uxorem fidelem, ſi concubinam habeat, non communicet. Cæterùm is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur, tamen, ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ (ut ei placuerit) ſit conjunctione contentus.* Citatur hic canon

canon & ex parte in Corpore Canonico diſt.33. can.4. Et can. 5. ſubduntur hæc verba Iſidori ex lib. de diſtantiâ Novi & Veteris Teſtamenti: *Chriſtiano, non dicam plurimas, ſed nec duas ſimul habere licitum eſt, niſi unam tantum aut uxorem, aut certe loco uxoris (ſi conjunx deeſt) concubinam.* Sed & ex Imperatoribus Chriſtianis Theodoſius l. Si donationum C. de nupt. ſanxit, *matrimonium absq; ullâ pompa & celebritate nuptiarum firmum eſſe: liberosq; ex eo ſuſceptos juſtos eſſe. Nam ſi liberi pro juſtis habendi ſunt, juſtum utiq; præceſſiſſe matrimonium oportet.* Idem conſtituit & Probus l. Si vivimus C. eod. nec non Juſtinianus Novell. 74. c. 2. Quoniam ἐπειδὴ δὲ. *AD SACROS tamen ORDINES illi, QUI CONCUBINA LOCO UXORIS UTEBANTUR, haud admittebantur.* Sic enim ſancit can. 17. Apoſtolorum, qui & citatur diſt. 13. c. Si quis poſt: εἰ παλλακὴν μετὰ τὸ βάπτισμα κτησάμενος οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ, *Qui poſt baptisma Concubinam habuerit non poteſt eſſe Epiſcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorſus ex eorum numero, qui miniſterio deſerviunt ſacro.* Ita & Gennadius Maſſilienſis lib. de Eccleſ. dogmatibus c. 72. *Clericum non ordinandum dicimus, qui unam quidem, ſed concubinam, non matronam habuit.* Sed & Juſtinianus in Novell. de ſanctiſſim. Epiſc. c. 12. *Clericos non aliter ordinari permittimus, niſi literas ſciant & rectam fidem, vitamq; habeant honeſtam: & neq; concubinam habuerint aut habeant, ſed uxorem legitimam*, νομίμην. Porrò & Concilium Toletanum IV. cap. 18. *Ad Sacerdotium non promoveantur, — qui viduam vel à marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt: qui concubinas aut fornicarias habuerunt.* Rabanus Maurus lib. 4. de univerſo c. 10. repetit verba Gennadii Maſſilienſis. Denique & Hincmarus Rhemenſis Epiſt. ad Clerum Beluacenſem: *Deſignata ſunt genera, de quibus ad clericatum pervenire non poſſunt, -- ſi quis fidelis militaverit,*

S rit,

rit, -- ſi quis maritus viduæ fuit, vel ſi concubinam, vel pellicem novit.

XLI. Quid ergò ſi Apoſtolus idem verbis iſtis voluerit? Nempe Sacerdotem non debere concubinam loco uxoris alere, ſed uxorem habere ſolenniter ex canonum tenore ſibi copulatam? *Quæram & aliud,* inquit & Hieronymus l. proximè citato: *Si quis & ante baptismum habuerit concubinam, & illâ mortuâ baptizatus uxorem duxerit, utrum Clericus fieri debeat, annon? Reſpondebis poſſe fieri, quia concubinam habuerit, non uxorem. Conjugales ergo tabulæ & jura dotalia, non coitus ab Apoſtolo condemnantur. Multos videmus ob nimiam paupertatem uxorum ſarcinam declinare & ancillas ſuas habere pro uxoribus ſuſceptosq; ex his liberos alere, ut proprios: qui ſi forte ditati ab Imperatore ſtolam illius meruerint, confeſtim Apoſtolo colla ſubmitterent & inviti inter uxores eas recipere cogentur; ſin autem principale reſcriptum eadem tenuitas impetrare non quiverit, cum Romanis legibus ſcita Eccleſiæ mutabuntur. Vide, ne hoc, quod dicitur, unius uxoris virum, unius mulieris poſſit intelligi, ut ad coitum magis referatur, quàm ad dotales tabulas.* Hæc ille. Non mirum autem eſt ab Apoſtolo Sacerdotes ad cohabitationem cum uxoribus legitimis, ſive ſolenniter ſibi copulatis adſtringi. Nam & apud Romanos Sacerdotibus ſive Flaminibus haud erat integrum niſi per confarrationem, quod ſolenne erat ſacrificii genus adhibitum in conjunctione viri & fœminæ, cujus jam ſuprâ fecimus mentionem in nuptias convenire. Sed & meminit illius Ulpianus in fragmentis Titulorum ex ejus Corpore excerptorum: *Farre,* inquit, *convenitur in manum certis verbis & teſtibus præſentibus, & ſolenni ſacrificio facto, in quo panis farreus adhibetur.* Imprimis verò huc etiam pertinent verba Plinii ex lib. 18. Nat. Hiſt. c. 3. *In ſacris*

nihil religioſius confarrationis vinculo erat : novæq; nuptæ farreum præferebant. Sed & Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 2. c.26. priſcos *legitima ſacraq; matrimonia, Romanâ appellatione, farracea* dixiſſe ait à *communione farris, quod Græci ζεὰν vocant.* Adhæc Servius in lib. 4. Æneid. & quidem ad verba illa Didonis: *Regni demens in parte locavi: Mos*, inquit, *apud veteres fuit Flamini ac Flaminicæ, ut per farreationem in nuptias convenirent, ſellas duas jugatas ovili pelle ſuperinjecta poni, ejus ovis, quæ hoſtia fuiſſet, & ibi nubentes velatis capitibus in confarreatione Flamen ac Flaminica reſiderent, quod Dido meminit cum queritur, ſe ab Æneâ contra jus nexus maritalis deſeri, his verbis: Regni demens in parte locavi. Locata enim uxor dicitur, quod ſimul cum eo ſedeat dum confarreatur.* Denique Boëthius confarrationem *ſolis Pontificibus* conveniſſe ſcribit in Topic. Ciceronis. Quamvis aliqui id ita interpretentur, quod confarreatio per *ſolos Pontifices fuerit peracta.*

XLII. Verum adhuc amplius quid ſubeſſe verbis Apoſtoli autumant plerique Eccleſiæ Doctores, nempe prohibitam iis eſſe Sacerdotibus omnem ſine diſcrimine polygamiam, non ſimultaneam tantum, ſed & ſucceſſivam, aliàs ab eodem Laicis conceſſam I. Cor. VII, 39. & I. Tim. V, 14. Nam & apud Gentiles bigami ſacerdotio excludebantur, ut iterum teſtatur Servius in 4. Æneid. ſcribens: *Antiqui repellebant à Sacerdotio bis nuptos.* Apud Romanos ſanè Flaminis officio defungi non poterat niſi unius uxoris maritus, quemadmodum nec Flaminicæ, quam Gellius lib. 10. c. 10. *Sacerdotiſſam* vocat, vices ſuſtinere præterquam unius viri conjux. Sic enim Trebellius Pollio de Calpurniâ Titi conjuge: *Fuit ſancta & venerabilis fæmina de genere Ceſonianorum vel Piſonum, quam majores noſtri univiram ſacerdotem inter ſacratiſſimas fæminas*

nas adorarunt. Et Livius lib. ult. decad. 1. *Pudicitiæ*, inquit, *tempore excluſæ fuere, quæ ſecundo nupſiſſent. Jus ſacrificandi habuere, quæ uni ſolum viro nupſerunt.* Atque hinc & Dido culpam vocat ſecundas nuptias apud Virgilium lib. 4. Æneid.

Huic uni forſan potui ſuccumbere culpæ.

Erat hæc Beli Tyriorum Regis filia, primis nuptiis Sichæo Herculis Sacerdoti juncta, qui cum fato ceſſiſſet eamque Jaobas Gætuliæ Rex ambiret ac recuſantem vi armisque cogere tentaret, ipſa ſibi manus inferebat, malens mori, quàm prioris lecti jura ſecundis nuptiis contra flaminicas leges polluere. *Certè Flaminica*, inquit Tertullianus de Exhortatione caſtitatis c. 13. *nonniſi univira eſt, quæ & Flaminis lex eſt. Nam cum ipſi Pontifici Maximo iterare matrimonium non licet, utiq; monogamiæ gloria eſt.* Et lib. de monogamiâ c. 17. *Pontifex Maximus & Flaminica nubunt ſemel.* Pariter & Hieronymus Epiſt. 11. ad Acheruchiam: *Flamen unius uxoris ad Sacerdotium admittitur, Flaminica quoq; unius mariti eligitur uxor.* Fiebat quoque hinc, ut Sacerdos uxore amiſſâ ſacerdotio decedere cogeretur, teſte Agellio lib. 10. Noct. Attic. c. 15. Sic enim ille: *Uxorem ſi amiſit Flamen Flaminio decedit.* Rationes adducit Plutarchus Quæſt. Romanarum quæſt 50. vel quod mutilata & imperfecta eſſet familia, vel quod in plerisque ſacris rebus obeundis uxor adeſſet, neque peragi eas fas eſſet illâ abſente. Quorum utrumque tamen facilè corrigi potuiſſet, ſi ad ſecunda vota flaminibus tranſire licuiſſet. Aſt id erat iis vetitum ac interdictum. Sed & apud Ægyptios in unis nuptiis ſtatutus erat Sacerdos. *Ad Tauri Ægyptii ſacra ſemel maritus aſſumitur*, ait iterum Hieronymus l. c. Apud Athenienſes autem quid fuerit uſitatum, ex Demoſthenis Orat. in Neæram colligere eſt, ubi de

uxore Regis ſacrorum apud Athenienſes ita loquitur: τὴν δὲ γυναῖκα αὐτοῦ (Δῆμος) νόμον ἔθετο ἀςὴν εἶναι, καὶ μὴ ἐπιμεμιγμένην ἑτέρῳ ἀνδρὶ, ἀλλὰ παρθένον γαμεῖν, *Uxorem autem ejus populus lege conſtituit civem eſſe, & quæ alteri viro ſe non miſcuerit, ſed virgo nupſerit.* Putant ergo Catholici Doctores plerique Apoſtolum ab iis quoque, qui Sacerdotio inter Chriſtianos funguntur, exigere, ut ſimplici matrimonio ſint contenti. Quo ſpectat rurſus Canon Apoſtolicus 17. in quo ex Clericorum ordine etiam bigami excluduntur. Sic enim integer ille habet: *Quicunque poſt Baptismum duobus conjugiis fuerit implicitus,* δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς, *vel habuerit concubinam, non poteſt eſſe Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omninò ex numero ſacerdotali.* In quem canonem Theodorus Balſamon: Τὸν μετὰ τὸ ἅγιον βάπτισμα διγαμήσαντα κωλύει ὁ κανὼν ἐπίσκοπον γενέσθαι ἢ ἱερατικόν τι ἐνεργεῖν, *Eum qui poſt ſanctum baptiſmum digamus fuerit, — probibet Canon fieri Epiſcopum vel Sacerdotale quidpiam exercere.* Et in Conſtitutionibus Clementis lib. 2. c. 2. dicitur: Τοιοῦτον δεῖ εἶναι τὸν ἐπίσκοπον μιᾶς ἄνδρα γεγενημένον γυναικὸς μονογάμου, *Oportet Epiſcopum talem eſſe, qui unam uxorem duxerit, quæ uni tantum nupſit.* Sec. II. Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum: *Monogamiam introducit* (Dominus) *propter liberorum procreationem & domus curam gerendam, ad quam data eſt mulier adjutrix etſi cui Apoſtolus propter intemperantiam & uſtionem ex veniâ ſecundum concedit matrimonium. Nam hic quoq; non peccat quidem ex teſtamento, non eſt enim à lege probibitus, non implet autem ſummam illam vitæ perfectionem, quæ agitur ex Evangelio.* At dubium non eſt, quin ad hanc præcipuè contendere debeant Sacerdotes. Tertullianus lib. 1. ad uxorem c. 7. *Quantum fidei detrahant, quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ & præſcriptio Apoſtoli declarat,*

cum digamos non ſinit præſidere. Et in Exhortatione ad caſtitatem c. 7. *Apud nos plenius atq; ſtrictius præſcribitur, unius matrimonii eſſe oportere, quos adlegi liceat in ordinem Sacerdotalem. Vſq; adeo quosdam memini loco dejectos.* Origenes homil. 7. in Lucam : *Ab Eccleſiaſticis dignitatibus non ſolum fornicatio, ſed & nuptiæ repellunt. Neq; enim Epiſcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, nec vidua poſſunt eſſe digami.* Ex Concilio porrò Nicæno Sec. IV. canonem citat Ambroſius lib. 3. Epiſt. 25. quo ſtatutum ſit *non debere quenquam Clericum eſſe qui ſecunda conjugia ſit ſortitus:* Baſilius Epiſt. ad Amphilochium can. 12. τοὺς διγάμους παντελῶς ὁ κανὼν τῆς ὑπηρεσίας ἀπέκλεισε, *Bigamos canon omninò à miniſterio excludit.* Et in c. 3. Eſaiæ v. 2. *Presbyterum par eſt vel maximè eſſe irreprehenſibilis vitæ & qui uxorem aut omninò non duxerit, aut juxta legem Domini,* κατὰ τὸν τοῦ κυρίου νόμον, *unius ſit vir uxoris*. Ambroſius lib. 1. de Officiis c. 50. exponens locum Pauli ex 1. Tim. 3. inter alia inquit : *De caſtimoniâ autem* (Sacerdotis) *quod loquar, quando VNA TANTVM NEC REPETITA permittitur copula? Etin ipſo ergo conjugio lex eſt, non iterare conjugium, nec ſecundæ conjugis ſortiri conjunctionem.* Et lib. de dignitate Sacerdotali c. 4. *Ait unius uxoris virum. Si ad ſuperficiem tantum literæ reſpiciamus, probibet digamum Epiſcopum ordinari. Si verò ad altiorem ſenſum conſcendimus, inhibet Epiſcopum duas uſurpare Eccleſias.* Rurſus lib. 3. Epiſt. 25. *Culpa lavacro, non lex ſolvitur. Nulla*

enim culpa conjugii, ſed lex eſt. Quod legis eſt igitur, non remittitur quaſi culpa, ſed tenetur quaſi lex. Ideo & Apoſtolus LEGEM *poſuit, dicens: Si quis ſine crimine eſt unius uxoris vir. Ergo qui ſine crimine eſt, unius uxoris vir, tenetur ad legem ſacerdotii ſuſcipiendi qui autem* ITERAVIT CONIVGIVM, *culpam quidem non habet coinquinati, ſed prærogativa exuitur Sacerdotis. --- Quomodo enim poteſt conſolari viduam, honorare, cohortari ad cuſtodiendam viduitatem, ſervandam marito fidem, quam ipſe priori conjugio non reſervaverat? Aut quid intereſſet inter populum & ſacerdotem, ſi iisdem adſtringerentur legibus? Debet præponderare vita Sacerdotis, ſicut præponderat gratia. Nam qui alios præceptis ſuis ligat, debet ipſe legitima præcepta in ſe cuſtodire.* Epiphanius hæreſ. 59. adverſus Catharos n. 4. *Quæ ſacerdotio propter ſingularem functionis illius dignitatem præcipuè tributa ſunt, ea ad omnes communiter pertinere judicant* (Cathari.) *Illud quidem audierunt, Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe oportere, unius uxoris virum, continentem: ſimiliter & Diaconum & Presbyterum. Ita enim profectò ſeſe res habet, ut poſt Chriſti in orbem terrarum adventum, eos omnes, qui ſecundum priores nuptias mortuâ uxore alteris ſeſe nuptiis illigarint, ſanctiſſima Dei diſciplina rejiciat: propterea quod incredibilis eſt Sacerdotii honor ac dignitas. Atq; iſtud ipſum ſacroſancta Dei Eccleſia cum omni proviſione diligentiaque ſervat.* Et in Expoſitione fidei Catholicæ n. 21. *Secundis nuptiis implicitus in Eccleſiâ ad ſacerdo-*

ſacerdotium non admittitur, tametſi aut ſeſe ab uxore contineat, aut ſit viduus: ejusmodi, inquam, ab Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi gradu rejicitur. Joannes Chryſoſtomus homil. 2. in Epiſt. ad Titum expendens verba Apoſtoli: *Epiſcopus* ſit unius uxoris vir: *Caſtigat*, inquit, *hoc ipſo etiam impudicos, dum non permittit eos poſt ſecundas nuptias ad Eccleſiæ regimen dignitatemq; Paſtoris aſſumi. Nam qui defunctæ uxori benevolentiam nullam ſervaſſe deprehenditur, quo pacto hic Eccleſiæ præceptor optimus eſſe poterit. --- Noſtis enim profectò omnes, quod etſi per leges ſecundæ nuptiæ permittuntur, multis tamen ea res accuſationibus patet: nullam ergò occaſionem præbere ſubjectis præſulem vult.* Auctor Comm. in 1. Tim. 3. apud eundem: *Quamvis ſecundam numero uxorem non ſit habere probibitum: ut tamen quis dignus ad Epiſcopatum ſit, etiam licita debet ſpernere propter ſublimitatem ipſius ordinis, quia cæteris melior debet eſſe, qui cupidus eſt ſedis illius.* Hieronymus Epiſt. ad Acheruchiam: *Simulq; conſidera, quod vidua non eligatur, niſi unius viri uxor: & nos putabamus Sacerdotum hoc tantum eſſe privilegium, ut non admittatur ad altare, niſi qui unam habuerit uxorem. Non ſolum autem ab officio Sacerdotii digamus excluditur, ſed & ab eleemoſyna Eccleſiæ, dum indigna putatur ſtipe, quæ ad ſecunda conjugia devoluta eſt.* Porrò Epiſt. 83. ad Oceanum c. 2. *In utrâq; Epiſtolâ* (ad Timotheum & ad Titum) *ſive Epiſcopi, ſive Presbyteri jubentur monogami in Clerum eligi.* Denique &

lib.1.

lib.1. adverſus Jovinianum c. 8. *Quàm ſancta ſit digamia, hinc oſtenditur, quod digamus in Clerum eligi non poteſt.* Concilium Valentinum Galliæ can. 1. *Sedit, neminem poſt hanc ſynodum, quâ ejusmodi illicitis vel ſero ſuccurritur de DIGAMIS aut internuptarum maritis, ordinari CLERICOS poſſe.* Syricius Epiſcopus Romanus Epiſt. 1. Himerium Tarraconenſem cap. 8. *Didicimus etiam, licenter ac liberè inexploratæ vitæ homines, quibus etiam fuerint numeroſa conjugia ad præfatas dignitates, prout cuiq; libuerit, aſpirare. Quod non tàm illis, qui ad hæc immoderatâ ambitione proveniunt, quantum Metropolitanis ſpecialiter Pontificibus imputamus, qui dum inhibitis auſibus connivent, Dei noſtri, quantum in ſe eſt, præcepta contemnunt. Et ut taceamus, quod altius ſuſpicamur, ubi illud eſt, quod Deus noſter, datâ per Moſen lege, conſtituit dicens: Sacerdotes mei ſemel nubant* (Levit. 21.) *Et alio loco* (Ezech. 44.) *Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non repudiatam, non meretricem. Quod ſecutus Apoſtolus, ex perſecutore prædicator, unius uxoris virum, tàm Sacerdotem, quàm Diaconum fieri debere mandavit. Quæ omnia ita à veſtrarum regionum deſpiciuntur Epiſcopis, quaſi in contrarium magis fuerint conſtituta.* Et cap. 11. *Quisquis ſanè Clericus aut viduam, aut certè ſecundam conjugem duxerit, omni Eccleſiaſticæ dignitatis privilegio mox nudetur, Laicâ ſibi tantum communione conceſſâ.* Concilium Carthaginenſe IV. cap. 69. *Ordinandi pote-*

ſtate privetur Epiſcopus, ſi ſciens ordinaverit eum clericum, qui viduam, aut repudiatam uxorem habuit, aut ſecundam. Sec. V. Auguſtinus lib. de bono conjugali c. 18. *Propterea ſacramentum nuptiarum temporis noſtri ſic ad unum virum & unam uxorem redactum eſt, ut diſpenſatorem Eccleſiæ non liceat ordinare, niſi unius uxoris virum.* Et paulò poſt: *Non abſurdè viſum eſt eum, qui exceſſit uxorum numerum ſingularem, non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed NORMAM quandam Sacramenti amiſiſſe, non ad vitæ bonæ meritum, ſed ad ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſarium.* Innocentius I. Epiſt. 1. ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum c. 6. *Ne is, qui ſecundam duxit uxorem, Clericus fiat: quia ſcriptum eſt: Vnius uxoris virum. Et iterum: Sacerdotes mei ſemel nubant.* Et ilibi: *Sacerdotes mei non nubant amplius.* Et Epiſt. 4. ad Felicem Nucerianum Epiſcopum c. 2. *De bigamis autem nec conſuli debuit, quod manifeſta lectio ſit Apoſtoli, unius uxoris virum ad ſacerdotium ſive ad Clericatum admitti debere & hanc ipſam tamen, ſi virginem accepit.* Zoſimus Epiſt. 1. ad Heſychium Salonitanum Epiſcopum cap. 3. *Exinde ſuffragantibus ſtipendiis per tot gradus datis propriæ fidei documentis presbyterii Sacerdotium poterit promereri. --- Hac tamen lege ſervatâ, ut neq; bigamus, --- neq; viduæ maritus ad hos gradus poſſit admitti.* Theodoſius in edicto contra Porphyrium, Neſtorianos & Irenæum, Tyriorum Epiſcopum, quod occurrit in Actis Concilii Epheſini Tom. 5. cap. 19. *Vt autem omnibus & ſingulis certè*

conſtet

conſtet, quantopere Majeſtas noſtra impii Neſtorii fidei æmulos deteſtetur, ſtatuimus, ut Irenæus, qui hac causâ noſtram indignationem nuper incurrit, & poſteà, neſcio quomodo, poſt SECVNDAS NVPTIAS, ſicuti accepimus, CONTRA APOSTOLORVM canonem Tyriorum Epiſcopus eſt creatus, à ſanctâ Tyriorum Eccleſiâ ſtatim expellatur, ornatuq; & nomine Sacerdotii penitus exutus, privatus in patrio tantum ſolo vivere permittatur. Leo Magnus Epiſt. 1. ad univerſos Epiſcopos, per Campaniam & Picenum vel Tuſciam & per univerſas provincias conſtitutos, cap. 2. *Conſtat ad ſacerdotium perveniſſe viduarum maritos: quoſdam etiam, quibus fuerint numeroſa conjugia & ad omnem licentiam vita liberior, ad ſacrum ordinem paſſim patefactis aditibus fuiſſe permiſſos, contra illam beati Apoſtoli vocem, qua talibus reclamat, dicens: Unius uxoris virum. Et contra illud antiquæ legis præceptum, quo dicitur & cavetur: Sacerdos virginem uxorem accipiet, non viduam, non repudiatam. Hos ergo, quicunque tales admiſſi ſunt, ab Eccleſiaſticis officiis & à ſacerdotali nomine, Apoſtolicæ ſedis auctoritate jubemus arceri: nec hoc enim ſibi poterunt pro arbitrio vendicare.* Videri poteſt idem & Epiſt. 48. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum c. 3. & Epiſt. 87. ad Epiſcopos Africanos c. 1. Concilium Arelatenſe III. cap. 3. *Nullus pænitentem, nullus digamum, nullus viduarum maritos in prædictis honoribus audeat ordinare. --- Quicunq; ab hac die contra ea, quæ ſuperius ſunt comprehenſa, Clericum ordinare præſumpſerit, ab ea die, qua ei potuerit hoc approbari, anno in-*

 tegro

tegrò Miſſas facere non præſumat. Concilium Andegarenſe cap. 11. *Non niſi unius uxoris viri, iidemque virginibus copulati, diaconi vel presbyteri ordinentur.* Sedulius ad 1. Tim. 3. Diaconi ſint unius uxoris viri. *Non ut haberent dicit, ſed ne duas habuerint.* Concilium Romanum ſub Hilario, Epiſcopo Romano, cap. 2. *Cavendum imprimis eſt, ne ad ſacros gradus, ſicut geſtis prioribus ante præſcriptum eſt, quisquam, qui uxorem, non virginem duxit, adſpiret. Repellendus eſt etiam quisq;, qui ſecundæ uxoris nuptias CONTRA APOSTOLICA PRÆCEPTA convenit.* Gennadius Maſſilienſis de Eccleſiaſt. dogmatibus c.72. *Maritum duarum poſt baptismum matronarum Clericum non ordinandum dicimus.* Sidonius Apollinaris lib. 7. Epiſt. 8 ad Perpetuum: *Eucherius & Panuichius ex canone non requiruntur* (ad Epiſcopatum) *qui ambo ad ſecundas nuptias tranſierunt.* Gelaſius Epiſt. 1. cap. 24. *Secundas nuptias ſicut ſecularibus inire conceditur, ita poſt eas nullus ad clericale ſinitur venire Collegium. Alia enim eſt humanæ fragilitati generaliter conceſſa licentia, alia debet eſſe vita divinarum rerum ſervitio dedicata.* Seculo VI. Concilium Epaunenſe tempore Hormisdæ Papæ & Childeberti Regis Francorum coactum cap. 2. *Ne ſecundæ uxoris aut renuptæ maritus Presbyter aut Diaconus ordinetur, abundè ſufficeret ob Apoſtolo conſtitutum: ſed quia præceptum hujusmodi excidiſſe quorundam fratrum ſimplicitate cognovimus, ſpeciali obſervantiâ renovamus, ut qui ſcienter eum contra*

dicta ordinaverit, reum fratribus ſe futurum. Illum autem, qui contra fas honorem probibitæ benedictionis ambierit, nihil ſe Clericalis miniſterii præſumturum. Concilium Gerundenſe itidem ſub Hormisda habitum cap. 8. *Si quis de Laicis poſt uxorem aliam cujuscunq; conditionis cognoverit mulierem, in clero nullatenus admittatur.* Juſtinianus Imperator in Novellâ 6. Quomodo oporteat Epiſcopos & Clericos ad ordinationem adduci c. 5. *Neque ſecundas nuptias habentem aut eum, qui habuerit nuptias, ordinari in Diaconum aut Presbyterum volumus. — Nihil enim ſic in ſacris ordinationibus diligimus, quàm cum caſtitate viventes aut cum uxoribus non cohabitantes, aut unius uxoris virum, qui vel fuerit vel ſit. — Si autem aliquis Presbyter aut Diaconus aut Subdiaconus poſteà ducat uxorem aut concubinam, aut palam aut occultè, ſacro ſtatim cadat ordine & deinceps idiota ſit,* Et Novellâ 123. de ſanctiſſimis Epiſcopis cap. 12, *Clericos non aliter ordinari permittimus, niſi - uxorem legitimam & ipſam unam & primam habentes, neq; viduam neq; divortio ſeparatam à viro.* Concilium Aurelianenſe III. tempore Vigilii Papæ & Childeberti Regis ſub Conſulatu Paulini celebratum cap. 6. *De ipſis quoq; qui ordinandi ſunt, Clericis regulari cuſtodiatur ſtudio, ne aut duarum uxorum vir, aut renuptæ maritus - - ad ſupraſcriptos ordines promoveatur.* Primaſius in 1. Tim. 3. ad verba iſta: Unius uxoris vir: *Si illi* (Epiſcopo) *nec hoc licet, quod vel Laico licet, quid de* cæteris *ſentiendum eſt? Diaconi ſint unius uxoris viri. Non ut ſi non habuerint, ducant, ſed ne duas habuerint. Si enim digniorem uxor facit, quare & non digami ordinentur.* Synodus Aurelianenſis IV. itidem ſub Vigilio Papâ & Childeberto Rege coacta c. 10. *Si quis Epiſcoporum ſciens aut bigamum, aut internuptæ maritum ad officium Leviticæ dignitatis ſive presbyterii contra jus canonũ promovere præſumpſerit*

 ſciat

ſciat ſe unius anni ſpatio ab omni officio Sacerdotii eſſe ſuſpenſum. Quod ſi forte ſententiæ ſubjacere contemſerit; à communione ejus usq; in aliam Synodum ſe fraternitas univerſa ſuſpendat: illi verò, qui illicitè promoti ſunt, degradentur. Gregorius Magnus lib. 11. Epiſt. 8. *De quodam digamo requiſiti, an ad ſacrum ordinem potuiſſet accedere, juxta canonicam regulam omninò vetuimus. Abſit enim ne veſtris temporibus, in quibus tam multa pia ac religioſa agitis, aliquid contra Eccleſiaſticum inſtitutum fieri permittatis.* Sec. VII. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Officiis Eccleſiaſticis c. 5. *Quod verò unius matrimonii virginalis ſunt, qui eliguntur in ordinem Pontificatus, & in veteri lege mandatum eſt, & plenius ſcripſit Apoſtolus: Unius uxoris virum. Sacerdotem quærit Eccleſia aut de monogamiâ ordinatum, aut de virginitate ſanctum. Digamus autem haud fertur agere Sacerdotium.* Concilium Toletanum IV. tempore Honorii Papæ celebratum cap. 18. *Non promoveantur ad Sacerdotium ex regulis canonicis -- qui SECUNDÆ UXORIS CONJUNCTIONEM, ſortiti ſunt, aut numeroſa conjugia frequentaverunt.* Concilium Trullanum ſ. Quiniſextum can. 3. *Omnes ſimul decernimus, eos qui ex clero duobus quidem matrimoniis implicati fuere - & non ab eo reſipiſcere voluerunt, depoſitioni canonicæ ſubjacere; eos autem qui tali quidem bigamiâ probro ac dedecori implicati fuere, ante noſtrum autem decretum id, quod utile eſt, cognoverunt & malum à ſe abſciderunt, & hanc adulterinam & alienam congreſſionem procul abegerunt, vel eos etiam, quorum uxores in ſecundis nuptiis jam mortuæ ſunt, vel ipſi etiam ad converſionem reſpexerunt & continentiam didicerunt, & priorum ſuarum iniquitatum obliti ſunt, ſive ſint presbyteri, ſive Diaconi, eos ab omni quidem ſacerdotali miniſterio ſive exercitio jam debere ceſſare. Præfinito aliquo tempore punitos honorem autem cum cathe-*

drâ

drâ & ſtatione participare prima ſede contentos & cum fletu à Domino poſtulantes, ut eis condonetur peccatum ignorantiæ. Neq; enim convenit, ut is alteri benedicat, qui debet propria curare vulnera. Sec. IIX. Zacharias, Epiſcopus Romanus, Epiſt. ad Bonifacium : *Sacri canones, neq; purum clericum, cui Sacerdotium non eſt, SECUNDIS COPULARI NUPTIIS præcipiunt.* Carolus Magnus lib. 6. legum Francicarum c. 93. *Si Sacerdos plures uxores habuerint, ſacerdotio priventur.* Sec. IX. Haymo, Epiſcopus Halberſtadienſis in 1. Tim. 13. *Oportet Epiſcopum unius uxoris virum, id eſt, qui antequam ordinetur, unam uxorem debet habere, ut non ſit bigamus, aut trigamus.* Rabanus Maurus lib. 4. de univerſ. c. 10. *Maritus duarum poſt baptismum matronarum Clericus non eſt ordinandus, neq; is, qui unam quidem, ſed concubinam, non matronam habuit.* Hincmarus Rhemenſis Epiſt. ad Clerum Tornacenſem: *Cui his literis - ſecundum TRADITIONEM Eccleſiaſticam dedimus in mandatis, ne unquam ordinationes præſumat illicitas, ac bigamum - ad ſacros ordines permittat accedere.* Photius in Nomo Canone tit. 9. c. 29. *Nullus qui ſecundam uxorem duxerit, ordinetur presbyter vel Diaconus.* Theophylactus ad Tit. 1. *Ut petulantes ac laſcivos cohibeat, unius, inquit, uxoris vir. Qui autem nullam ſervat benevolentiam erga eam, quæ obiit, quomodo Eccleſiæ bene præerit. Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe. Digamus autem non eſt inculpatus, etſi hoc mundanis legibus placeat.* Oecumenius ad Tit. 1. *Solam unam noverit uxorem Epiſcopus, quæ legitima fuerit. — Bigamum verò repellit tanquam vituperio & contemptui obnoxium.* Anshelmus in c. 3. prioris ad Timotheum : *Oportet paſtorem eſſe unius uxoris virum, id eſt, qui unam uxorem habuerit, non habeat ſecundam. — Diaconi ſint unius uxoris viri, id eſt, non ordinetur*

dinetur Diaconus, qui duas aut plures habuerit uxores, ſed qui tantum unam habuit, & ei non miſceatur, poſtquam ordinatus fuerit. Ita ſint Diaconi viri ſingularum uxorum.

XLIII. Non fugit quidem nos, non apud Novatianos ſolum in Occidentalibus partibus fuiſſe Digamos ad Sacerdotium admiſſos, quod teſtatur Caſſiodorus lib. 9. Hiſt. Tripart. c. 39. his verbis: *Novatiani circa polygamiam binubos non recipiunt. Conſtantinopoli verò neq; palam recipiunt neq; palam removere noſcuntur. In Occidentalibus verò partibus apertè recipiunt*; Sed & apud Catholicos ipſos. Sic enim de iis ſub Pſychicorum appellatione (quâ illos inſignit ob laxam nimis, quæ apud eos hinc inde, ipſius quidem judicio, obtinebat, diſciplinam) refert Tertullianus; ſed reprehendit idem unà in iis lib. de monogamiâ c. 12. ſcribens: *Quot enim & digami præſident apud vos, inſultantes utiq; Apoſtolo, certè non erubeſcentes, cum hæc ſub illis leguntur? Age jam qui putas exceptionem monogamiæ de Epiſcopis factam, recede & à reliquis titulis diſciplinæ, qui cum Monogamiâ Epiſcopis adſcribuntur. Noli eſſe irreprehenſibilis, ſobrius, benè moratus, ornatus, hoſpitalis, docibilis, quin verò & vino deditus, & manu promptus ad cædendum, & pugnax, & pecuniæ amans, & domum non regens, nec filiorum curans diſciplinam, ſed nec ab extraneis bonam famam ſectans. Si enim ſuam habent Epiſcopi legem circa monogamiam, etiam cætera, quæ Monogamiæ accedere oportet, Epiſcopis erunt ſcripta.* Ejus quidem, qui poſt ordinationem ad ſecunda vota tranſierit, manifeſtum in Eccleſiâ veteri me inveniſſe haud memini exemplum: ex iis interim, qui jam ſecundas contraxerunt nuptias fuiſſe non paucos ad ſacerdotium evectos, præſertim ſi primam uxorem jam ante baptiſmum amiſiſſent, etiam Hieronymus confirmat. Putabant enim plerique

rique, teſte etiam Ambroſio lib.3. Epiſt.25. 1. Tim.3. unius uxoris virum dici poſt baptiſmum habitæ eò quod baptiſmo vitium ſit ablutum, quo afferebatur impedimentum: *Carterius*, inquit Hieronymus Epiſt. 83. ad Oceanum, *Hiſpaniæ Epiſcopus, homo & ætate vetus & Sacerdotio, unam antequam baptizaretur, alteram poſt lavacrum, priore mortuâ, duxit uxorem, & arbitraris eum contra Apoſtoli feciſſe ſententiam, qui in catalogo virtutum, Epiſcopum unius uxoris virum præceperit ordinandum. Miror autem te unum protraxiſſe in medium, cum omnis mundus his ordinationibus plenus ſit, non dico de presbyteris, non de inferiori gradu: ad Epiſcopos venio, quos ſi ſigillatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, ut Ariminenſis Synodi multitudo ſuperetur.* Non defuerunt tamen etiam ex Catholicis, qui ne tales quidem ex ſententiâ Apoſtolicâ admittendos eſſe judicarint. Inter quos ipſe eſt Ambroſius, qui & ad rationem iſtam reſpondet l. c. his verbis: *Et vitia quidem atq; peccata diluuntur omnia, ut ſi quis contaminaverit ſuum corpus cum plurimis, quas nullâ conjugii lege ſociaverit, remittuntur ei omnia: ſed conjugia non reſolvuntur, ſi quis iteraverit. Culpa enim lavacro, non lex ſolvitur. Nulla enim culpa conjugii, ſed lex eſt.* Et lib.1. Offic. 50. *In ipſo conjugio lex eſt,* Sacerdotibus videlicet lata, *non iterare conjugium nec ſecundæ conjugis ſortiri conjunctionem. Quod pleriſq; mirum videtur, cur etiã ante baptiſmum iterato conjugio ad electionem muneris & ordinationis prærogativam impedimenta generentur: cum etiam delicta obeſſe non ſoleant, ſi lavacri remiſſa fuerint ſacramento. Sed intelligere debemus, quia in baptiſmo culpa dimitti poteſt, lex aboleri non poteſt. In conjugio non culpa, ſed lex eſt. Quod culpæ eſt igitur, in baptiſmate relaxatur. Quod legis eſt, in conjugio non ſolvitur. Quomodo enim poteſt hortator eſſe viduitatis, qui ipſe conjugia frequentaverit.* Gemina his

habet etiam Innocentius I. Epiſt. I. c. 6. *Etſi ab aliquibus*, ait, *exiſtimetur; ante baptiſmum, ſi fortè quis acceperit uxorem & eâ de ſeculo recedente, alteram duxerit, in baptiſmo eſſe dimiſſum ſatis, errant à regula: quia in baptiſmo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur: cum utiq; uxor ex legis præcepto ducatur in tantum, ut & in paradiſo, cum parentes humani generis conjungerentur, ab ipſo Domino ſint benedicti. Salomon dicit: A Deo præparabitur viro uxor. Quam formam etiam Sacerdotes omnes ſervare uſus ipſe demonſtrat Eccleſiæ. Satis enim abſurdum eſt, aliquem credere, uxorem, ante baptiſmum acceptam, poſt baptiſmum non computari, cum benedictio, quæ per ſacerdotem ſuper nubentes imponitur, non materiam delinquendi dediſſe, ſed formam tenuiſſe legis, à Deo antiquitus inſtitutæ, debeatur. Quodſi non putatur uxor eſſe computanda, quæ ante baptiſmum ducta eſt: ergo nec filii, qui ante baptiſmum geniti ſunt, pro filiis habentur.*

XLIV. Atque hinc factum eſt, ut lex illa de Sacerdotibus monogamis adhuc hodie apud pleroſq; Chriſtiani nominis populos, apud quos etiam Sacerdotibus matrimonio uti eſt conceſſum, obtineat, NOSTRATIBUS ſolum & REFORMATIS exceptis, nec non NESTORIANIS, qui itidem non ſecundum tantum, ſed & tertium & quartum Sacerdotibus, conjugium concedunt, teſte Thomâ à Jeſu, Ordinis Carmelitarum Monacho, lib. 7. converſ. gent. c. 2. Aliud autem longè apud alios obtinet Chriſtianos. Et apud GRÆCOS quidem quid uſu hic veniat, declarat Chriſtophorus Anglus l. de ſtatu Eccleſiæ Græcæ c. 49. his verbis: *Si ſacerdotis uxor diem forte obierit, permittitur quidem ipſi, ut aliam ducat, at eâ cautione, ne ſacra adminiſtret amplius. Quod ſi enim duxerit, ſacro miniſterio jam vacare nequit, ſed & Laici perſonam induit.* Metrophanes

nes Critopulus in Confeſſ. Eccl. Orientalis c. 11. *Omnibus dictis ordinibus Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum &c. præterquam Epiſcoporum conceſſæ ſunt nuptiæ: non autem ut fortè accidit, ſed cum ratione prorſus laudabili. Primò etenim, qui volunt uxorem ducere, antequam in ordinem eligantur, id faciunt. Deinde ſi alicujus uxor prior vitæ curſum eſt emetita, ſiquidem Presbyter aut Diaconus eſt viduus, & vult ſecundæ conjugi conſveſcere, ceſſat ſacramenta adminiſtrare. Habent autem tantum in ſolatium (ne duro laqueo mœroris conſtringantur) iſte quidem eandem cum Presbyteris, ille verò eandem cum Diaconis ſellam. Qui verò hos ſequuntur, veluti Subdiaconi, Lectores, Exorciſtæ ac cuſtodes ab ordine quidem ſuo non dejiciuntur, ſi bis conjugium contraxerint, provehi autem in majorem nequeunt. Manet itaque quilibet, in quo inventus eſt.* Chytræus Orat. de ſtatu Eccleſiarum in Græciâ, Aſiâ &c, *Maritis Sacerdotio fungi concedunt; ſed Monogamis duntaxat. Digamus enim juxta canonem præſcriptum ab Officio ſuſpendunt.* Pariter & de iisdem Joannes Cotovicus Ultrajèctinus in Itiner. Hieroſolymitano & Syriaco l. 2. c. 6. *Sacerdotibus uxores* (quas ante ſacros ordines duxerunt) *permittunt, bigamos rejiciunt, nec ſacerdotibus, ut ad ſecundas nuptias transeant, concedunt.* Conſona his tradit & Salomon Schweigerus lib. 2. Itiner. c. 62. *De SURIANIS* autem Jacobus de Vitriaco in Hiſtoriâ Hieroſolymitanâ cap. 74. *Quartas nuptias Suriani ſicut & Græci non admittunt. Sacerdotes autem eorum & Diaconi licet in PRÆDICTIS ORDINIBUS matrimonia non contrahant, utuntur tamen uxoribus, cum quibus ante ſacros ordines contraxerunt.* Quæ totidem verbis repetit Marinus Sanutus Torſellus l. 3. ſecretorum fidelium crucis c. 3 part. 8. c. 1. De MOSCIS Sigismundus Liber Baro ab Herberſtein in Comment. rerum

V 2 Moſco-

Moſcoviticarum : *Mortuâ conjuge Sacerdos à ſacris obeundis prorſus ſuſpenditur, ſi caſtè tamen vivit, officiis ac aliis rebus divinis cum cæteris Eccleſiæ miniſtris choroq; tanquam miniſter intereſſe poteſt. Erat quidem anteà conſuetudo, ut vidui caſtè viventes ſine reprehenſione ſacra peragerent; Sed nunc mos invaluit, ut nullus viduorum, ad ſacra facienda permittatur, niſi monaſterium aliquod ingrediatur juxtaq; regulam vivat. Quicunq; Sacerdos autem viduus ad ſecundas nuptias, quod cuiq; liberum eſt, tranſierit, is nihil habet cum Clero commune.* Et Joannes Faber in lib. de relig. Moſcovitarum ad Sereniſſ. Principem Ferdinandum, Archiducem Auſtriæ: *Epiſcopus vel Sacerdos poſtquam cælebs in ſortem Domini vocatus atque conſcriptus fuerit, conjugio non copulatur, ſed perpetuæ caſtitati adſtringitur. Quodſi quis concubinatus crimen admiſerit (quod tamen apud Ruthenos vitium eſt rariſſimum) acerrimâ pœnâ ab Epiſcopo affligitur ſuoq; beneficio privatur. Cumque uxor ſemel mortua fuerit, quam primò duxit, in perpetuum quoque nunquam aliam in uxorem ducit. Non bigamum unquam at unius uxoris virum conſtituit Paulus.* His conſonat & Navigatio Anglorum ad Moſcovitas in Moſcoviæ deſcriptione c.2. Sic namque illa: *Mortuâ uxore Sacerdos à ſacris prorſus ſuſpenditur, niſi monaſterium ingreſſus juxta regulam vivat, officiis etiam divinis peragendis, ſi caſtè viduus vixerit, veluti miniſter cum cæteris Eccleſiæ miniſtris choro intereſſe poteſt. Si autem viduus Sacerdos aliam uxorem (quod eis liberum eſt) duxerit, is munere ſacerdotali privatur, nihilq; commune cum Clero habet.* Qui vult, his addere poteſt Olearii Itinerarium Perſicum p. 176. Neugenbauerum item & alios rerum Moſcovitarum Scriptores. De ABYSSINORUM porro ſive Æthiopum Presbytorum conjugiis audire juvabit Zagazabo iſtius gentis Epiſcopum & Davidis Regis

Æthio-

Æthiopum ad Regem Luſitaniæ ante ſeculum Legatum. Sic enim ille confeſſione fidei ſuæ, quam, cum in Luſitaniâ viveret, conſignatam reliquit: *Conſtitutum eſt à ſanctis Apoſtolis in Synodorum libris, Clericis uxores licere ducere, id quidem poſtquam cognitionem aliquam habuerint rerum divinarum. Deinde inito matrimonio in ordinem Presbyterorum recipiuntur, in quem niſi poſt annum trigeſimum nemo recipitur. — Mortuâ tamen primâ uxore Epiſcopi aut Clerici aliam ducere nonpoſſunt, niſi Patriarcha ad id diſpenſaverit (quod aliquando indulgetur magnatibus propter publicum bonum) nec habere concubinam, niſi ſe voluerint à ſacris abdicare: quod ſi fecerint, res divinas amplius tractare non poſſunt. Et hoc tam ſtrictè ſervatur, ut ii presbyteri, qui ſecundò uxorem duxerint, ne candelam quidem unam Eccleſiæ conſecratam in manum auderent accipere. — Et id quod Presbyteri apud nos uxores poſſident, ex Paulo accepimus, qui mavult Clericum & Laicum nubere, quàm uri. Is quoq; inquit, oportere Epiſcopum virum unius uxoris eſſe & irreprehenſibilem.* Hæc ille in confeſſione prædictâ apud Petrum Damiani à Goës Equitem *L*uſitanum l. de fide, religione & moribus Æthiopum. Quibus jungi poſſunt, quæ apud Nicolaum Codignum leguntur lib. de rebus Abyſſinorum c.36. Ex Auctore enim novo, ut vocat, refert duo eſſe apud illos Sacerdotum genera. Unum eorum, qui ab omni ſemper conjugio abſtinent: alterum eorum, qui matrimonium quidem contrahunt, ſub his tamen conditionibus. Primò ut admitti non poſſit ad hunc gradum, niſi qui unam duntaxat eamque non viduam uxorem habeat. Secundò ut antequam ſacris initietur, conjugio copuletur, & conjugalis caſtitatis (ut appellant) votum emittat. Tertiò, ut defunctâ uxore ad ſecundum matrimonium tranſire nequeat: Jam diſtinctionem qui-

dem

dem illam de virginibus & conjugatis Sacerdotibus Codignus impugnat, bigamos tamen apud Abyſſinos quoque in ſacerdotio haud tolerari, non concedit ſolum, ſed & probat teſtimonio Antonii Fernandii, cujus hæc adducit verba: *Qui ſacris ſunt initiati ordinibus, uxores habent: Si quis primam admittit, ſuſpenſionis pœna vetatur accipere ſecundam propter bigamiam.* Idem innuit & Thomas à Jeſu l. 7. de converſione omnium gentium procurandâ c. 9. *Sacerdotes* (Abyſſinorum) *Græcorum more ANTE SACERDOTIUM uxores ducunt & in Sacerdotio eis ducuntur.* Denique & P. Jovius lib. 18. Hiſt. ſui temporis de Patriarchâ Abyſſinorum verba faciens: *Is*, inquit, *in cœlibatu vivit, quando Sacerdotibus uxorem ducere, NEC TAMEN ITERARE NUPTIAS fas ſit.* His addi poteſt & Sebaſtianus Münſterus lib. 6. Coſmographiæ c. 56. nec non Matthæus Dreſſerus, Hiſtoricus Lipſienſis, Orat. de ſtatu Eccleſiæ & Religionis Æthiopum, quæ, in linguam Teutonicam à M. Melchiore Gerlachio converſa, ſubjecta eſt deſcriptioni Chinæ ab eodem Dreſſero editæ Lipſiæ Anno 1598. Ulterius de MARONITIS Thomas à Jeſu lib. de converſione gentium part. 2. cap. 6. *Promovendi ad ſacros ordines Diaconatus vel Sacerdotii nubunt cum virgine, quâ mortuâ non tranſeunt ad ſecundas nuptias.* Et præced. c. 6. §. 6. Patriarcham Maronitarum ita introducit loquentem: *Neq; etiam confertur apud nos Diaconatus vel Sacerdotalis dignitas, niſi his, qui prius cum virgine contraxerint, cum vidua vel corruptâ non item: quibus tamen ſecundæ nuptiæ ſunt interdictæ.* De ARMENIIS autem Borchardus in Deſcript. terræ ſanctæ part. 2. c. 2. de diverſis Nationibus habitantibus in terrâ ſanctâ §. 9. *Sacerdotes ſeculares uxorem ducunt; neq; permittitur aliquis Sacerdotium aſſumere, qui uxorem non duxerit — Mortuâ Sacerdotis uxore Sacerdos continebit*

tinebit nec aliam ducet. — Similiter mortuo Sacerdote uxor continebit. Denique de INDIS S. THOMÆ Hieronymus Oſorius Luſitanus, Silvenſis in Algarbiis Epiſcopus lib. 3. de rebus Emmanuelis Regis Luſitaniæ : *Sacerdotes apud illos* (S. Thomæ Chriſtianos) *uxores ducunt. Primâ tamen uxore mortuâ, eſt illis in poſterum nuptiis omnibus interdictum.* Quæ verba repetit Philippus Nicolai lib.1. de regno Chriſti.

XLV. Hi ſanè omnes verba Apoſtoli ex I. Tim. III,2. & Tit. I. 6. de polygamiâ non ſimultaneâ, ſed ſucceſſivâ interpretantur. Verùm ſive hoc, ſive alio ex prædictis modo intelligantur (NOS enim HIC NIHIL DEFINIMUS) haud quidquam tamen inde cauſæ accedit eorum, qui polygamiam ſimultaneam eunt defenſum. Nullus enim in univerſum eſt ex veteribus Eccleſiæ Doctoribus, qui verba iſta ſic exponat, ut iis polygamiam ſimultaneam Clericis quidem prohibitum, Laicis autem dicat eſſe permiſſam. Explicatio autem Scripturæ, quæ planè nova eſt, vel hanc ſolam ob cauſam meritò rejicitur, imprimis in re tanti momenti atque ad converſationem Chriſtianam ſpectante. Scrptura enim non eſt *ἰδίας ἐπιλύσεως*, *interpretationis propriæ*, quemadmodum nec lubitu hominum, ſed ipſo ſancto Dei ſpiritu dictante eſt conſignata 2. Pet. 1,20, 21. *Sicut Prophetæ*, ait Beda in Comm. h. l. *non ſua propria, ſed Dei verba ſcribebant: Ita & Lector eorum non ſua propriâ interpretatione poteſt uti, ne à ſenſu veritatis exorbitet, ſedhoc omninò debet attendere, quomodo ſua verba voluerit intelligi ille qui ſcribit.* Hunc autem ſeipſum explicantem audimus PARTIM IN IPSIS SCRIPTURIS, ut ſenſum controverſum loci alicujus obſcurioris Scripturæ ex aliis ejuſdem locis clarioribus venari liceat, quemadmodum obſervat poſt Clementem Romanum in Jure Can. diſt. 37. c. Relatum, Irenæum item l. 2. c. 47, & Clementem alterum, Alexandrinum

inquam

inquam, lib. 7. Stromatum, & Origenes in Matth. 13. ſcribens: *Scripturæ exponendæ per comparationem locorum, ut in ore duorum triumve aut plurium teſtium è Scripturâ citatorum, fundetur & confirmetur omne verum: PARTIM IN ECCLESIA CATHOLICA.* Hæc enim Spiritum veritatis accepit, qui ipſam in omnem veritatem ducit non ad tempus ſolum, ſed in æternum Joh. XIV, 16, 17, 18. c. XVI, 13, Ei dictum eſt Eſa. LIX, ult. *Spiritus meus, qui eſt in te, non recedet de ore tuo & de ore ſeminis tui à modo & usq; in ſempiternum.* Ex quo & *firmamentum* illa & *columna* dicitur *veritatis* I. Tim. III, 15. quod in illa immota ac ſtabilita ſtet omnis veritas divina. In Græco στῦλος eſt, quæ vox in genere ſignificat columnam, advertente & Julio Polluce lib. 1. Onomaſtici c. 8. iſtis verbis: στῦλος καὶ κίων ὀνομάζεται, στῦλος *etiam columna vocatur.* In ſpecie autem hoc nomine veniunt columnæ, quibus leges vel affigi vel incidi ſolent, aut etiam alia negotia & monimenta, quæ noſſe intereſt cunctorum: maximè illa, quæ præcipua eſt & magnitudine ſuperat reliquas. Quo ſenſu vocem uſurpat Lucianus de Syriâ Deâ ſcribens: Ἐμο δὲ δοκέει στῦλος ἐφεστὼς μέγας ἀνέχειν τὸν βωμὸν, *Mihi columna videtur ſubeſſe magna aramq; ſuſtinere.* Aliæ autem minus notabiles propriè στῆλαι nuncupantur. Unde & in Gloſſis Cyrilli dicitur: στῦλος columna, στήλη cippus. Dicitur ergò Eccleſia columna veritatis, quod in illâ veluti appenſæ ſint literæ veritatis divinæ, ut quis cuncta quæ Deus à nobis requirit ut neceſſaria ſive creditu, ſive factu in illâ veluti legere & intelligere poſſit. Quæ ergò Scripturæ interpretatio Eccleſiæ Catholicæ interpretationi haud eſt conformis ea jure meritoque ceu nova ſuppoſititia eſt repudianda. *Ubi tales* ſive ſinceros Doctores, qui Scripturam rectè interpretantur, *inveniat aliquis,* ſcribit Irenæus l. 4. c. 45. *Paulus docens ait* (Epheſ. IV. 11.) *Poſuit*

Deus

Deus primò in ECCLESIA Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertio Doctores. Ubi igitur Charismata Domini poſita ſunt, ibi diſcere oportet veritatem, apud quos eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt Eccleſiæ ſucceſſio, & id quod eſt ſanum & irreprobabile converſationis & inadulteratum & incorruptibile ſermonis conſtat. Et lib. 5. c. 50. *Eccleſiæ prædicatio vera eſt & firma, apud quam una & eadem ſalutis via in univerſo mundo oſtenditur. Huic enim & concreditum eſt lumen Dei & propter hoc ſapientia Dei, per quam ſalvat omnes homines, in exitu canitur, In plateis autem fiducialiter agit, in ſummis muris prædicat, in portis autem civitatis conſtanter loquitur. Ubiq; enim Eccleſia prædicat veritatem, & hæc eſt lucerna Chriſti bajulans lumen. Qui ergò relinquunt præconium Eccleſiæ imperitiæ ſanctos Presbyteros arguunt, non contemplantes, quanto pluris ſit idiota religioſus, quàm blasphemus & impudens Sophiſta. Tales antem ſunt omnes hæretici & qui ſe plus aliquid præter veritatem invenire putant, ſequentes ea, quæ prædicta ſunt varie & multiforme, & imbecille facientes iter, de iisdem non ſemper easdem ſententias habentes, veluti cæci à cæcis circumducuntur; juſtè cadent in ſublatentem ignorantiæ foveam, ſemper quærentes & nunquam veritatem invenientes. Fugere igitur oportet ſententias ipſorum & intentius obſervare, ut ne vexemur ab ipſis: confugere autem ad Eccleſiam & in ejus ſinu educari, & dominicis Scripturis enutriri.* Pariter & Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum: *Homo Dei & Domino fidelis eſſe deſinit, qui adverſus Eccleſiaſticam recalcitrat traditionem & in humanarum hæreſeon deſiluit opiniones.* Et poſtea: *Is ſolus, qui cognitione eſt præditus, cum in ipſis conſenuerit Scripturis Apoſtolicorum & Eccleſiaſticorum ſervans dogmatum rectitudinem, rectiſſimè vivit convenienter Evangelio & demonſtrationes ita ut quærit, invenit, ut qui emittatur à Domino, à lege & à Prophetis.* Sed & Tertullianus lib. de præſcript. adverſus hæreticos c. 21.

 Quid

Quid prædicâverint Apoſtoli, quid illis Chriſtus revelaverit & hîc præſcribam, non aliter probari debere niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt. Si hæc ita ſunt, conſtat perinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis & matricibus & originalibus fide conſpirat, veritati deputandam, reliquam verò omnem de mendacio præjudicandam. Denique ne eamus longius, & Origenes proœmio in libros περὶ ἀρχῶν: *Cum multi ſint, qui ſe putant ſcire, quæ Chriſti ſunt, & nonnulli eorum diverſa à prioribus ſentiant, ſervanda eſt Eccleſiaſtica prædicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita & usq; ad iſtud tempus in Eccleſiis permanens. Illa enim ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſticâ diſcordat traditione.* Et Tractat. 29. in Matthæum: *Hæretci quoties canonicas proferunt Scripturas, in quibus omnis Chriſtianus conſentit & credit, videntur dicere: Ecce in domibus eſt verbum veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à primâ & Eccleſiaſtica traditione, nec aliter credere, niſi quemadmodum per ſucceſſionem Eccleſiæ Dei tradiderunt nobis.*

XLVI. Non difficile quoque eſt ex dictis judicare, NUM ULLI HOMINUM DISPENSARE HODIE LICEAT CIRCA POLYGAMIAM. Eſt diſpenſatio nihil aliud, quàm remiſſio legis facta ex causâ urgente, vel exceptio ſive ſolutio à lege, quando ſcilicet alicui gratia fit, ne lege aliqua amplius ligetur, aut jure al quo adhuc teneatur, quo anteà tenebatur obſtrictus. Unde & diſpenſatio hæc indulgentia vocatur in Corpore Canonico in decret. de conſanguineit. & affinit. cap. Quod dilectio & can. Interfectores, cauſa 33. quæſt. 2 Jam autem *NEMO à lege aliquâ, ad quam ſervandam obligatus eſt alius, eximere hunc poteſt, niſi is, qui legem tulit, aut æqualem cum legislatore habet poteſtatem, vel etiam majorem.* V. c. eximere aliquem Princeps poteſt à lege, quam tulit aut ipſe, aut is, cui ille

in

in regimine ſucceſſit. Par enim ejus eſt poteſtas. Par autem in parem vel ſuperiorem non habet imperium, quemadmodum & in Corpore Civili dicitur l. 4. D. de receptis, qui arbitrium receperunt. *Magiſtratus ſuperiore aut pari imperio nullo modo poteſt cogi nec intereſt ante, an in ipſo magiſtratu arbitrium ſuſceperint.* Quibus gemina & in Corpore Canonico leguntur cap. Innotuit de Electione in decretal. Gregorii: Illic enim hæc leguntur verba: *Quamvis autem canon Lateranenſis Concilii ab Alexandro prædeceſſore noſtro editus, non legitimè genitos adeò perſequatur, quod electionem talium innuit nullam eſſe, nobis tamen per eum adempta non fuit diſpenſandi facultas, cum ea non fuerit prohibentis intentio: qui ſucceſſoribus ſuis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari poſt eum imò eadem poteſtate functuris, cum non habeat imperium par in parem.* Habebant Lacedæmonii legem, juxta quam infamiâ notandus erat miles, qui ex acie profugeret. Jam acciderat in Leuctrici pugna, ut Lacedæmonii fugerent, qui hoc ipſo infamiæ, lege iſtâ decretæ, erant obnoxii. Sed cum Ephori viderent urbem viris vacuam, quæ tunc militibus opus habebat, cogitabant, quo pacto ſalvis legibus illos tamen infamiâ liberarent, ideoque Ageſilao munus legis ferendæ offerebant, qui in publicum progreſſus leges ad unam diem ſuſpendit, teſte Plutarcho in vita Ageſilai c. 52. & in Apopthegm. Lacon. c. 20. Hæc diſpenſatio erat licita Ageſilao. Pollebat enim eâdem, quâ illi, qui legem prædictam tulerant apud Lacedæmonios autoritate, adeo ut legem iſtam penitus abrogare potuiſſet, nedum ejusdem effectum ad tempus ſuſpendere. At inferior à lege, quam ſuperior dedit, eximere quemquam non poteſt. Eſt enim illius imperio ſubjectus adeoque ad ſervandas ejus leges adſtrictus. Qua ratione remitti à Principe Romani Imperii non poteſt lex ab Imperatore, Electoribus conſentientibus,

bus, lata, ut in toto Imperio ab omnibus ſervetur. Atq; hinc NULLA HUMANA POTESTAS DISPENSARE POTEST CIRCA LEGEM A DEO SANCITAM, SIVE NATURALIS ILLA SIT, SIVE POSITIVA. Unde de juribus naturalibus Juſtinianus §. penult. Inſtitut. de jure naturæ cum ait: *Naturalia*, inquit, *jura, quæ apud omnes gentes peræquè obſervantur, divinâ quadam providentia conſtituta SEMPER firma ac immutabilia permanent, ea verò, quæ ipſa ſibi quæq; civitas conſtituit, ſæpe mutari ſolent: vel tacito conſenſu populi, vel aliâ poſteà lege latâ.* Et l. Eas obligationes D. De capitis deminutione: *Eas obligationes, quæ naturalem prælationem habere intelliguntur, palam eſt capitis deminutione non perire, quia civilis ratio naturalia jura corrumpere non poteſt.* Item l. *Jura ſanguinis de diverſis regulis juris antiqui: Jura ſanguinis nullo jure civili dirimi poſſunt.* Non aliter verò & de lege poſitivâ judicandum. Obligati enim ſunt omnes in univerſum homines etiam ad ſervanda iſta, quæ ejusmodi legibus â Deo conſtituuntur. Inde diſpenſare nulla poteſtas, *neque civilis neque ea, quæ circa ſacra eſt*, valet contra leges, quas Chriſtus tulit, veluti de fide & Sacramentis. Quò pertinent & verba iſta Urbani, Epiſcopi Romani, adducta Causâ 25. quæſt. 1. c. 6. *Sunt quidam dicentes Romano Pontifici ſemper licuiſſe novas condere leges. Quod & nos non ſolum non negamus, ſed etiam valde affirmamus. Sciendum verò ſummopere eſt, quia inde novas leges condere poteſt, unde Evangeliſtæ aliquid & Prophetæ nequaquam dixerunt. Ubi verò apertè Dominus vel ejus Apoſtoli & eos ſequentes ſancti Patres ſententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potius, quod prædicatum eſt, usq; ad animam & ſanguinem confirmare debet. Si enim, quod docuere Apoſtoli & Prophetæ, deſtruere (quod abſit) niteretur, non ſententiam dare, ſed magis errare convinceretur.*

Sed

Sed hoc procul ſit ab eis, qui ſemper Domini Eccleſiam contra luporum inſidias optimè cuſtodierunt. Sed NEC CONTRA ECCLESIÆ STATUTA, quæ illa ſtrictè obſervari voluit, diſpenſare poteſt, ſive Pontifex ſive quisquam alius. Eſt enim ea omnium noſtrum mater Gal. IV, 26, cujus conſtitutiones vilipendere non poteſt, qui pro filio ejus genuino vult haberi. Unde Marcellinus Papa Epiſt. 2. c. 25. q. 1. cap. 8. *Omne, quod irreprehenſibile eſt, Catholica defendit Eccleſia. Injuſtum ergo judicium & definitio injuſta Regio metu vel juſſu à judicibus ordinata non valet. Nec quicquam quod contra Evangelicæ vel Propheticæ aut Apoſtolicæ doctrinæ conſtitutionem ſucceſſorumve eorum ſive ſanctorum Patrum actum fuerit, ſtabit.* Et Zoſimus Epiſcopus Romanus c. 25. q. 1. c. 7. *Contra ſtatuta,* inquit, *Patrum concedere aliquid vel mutare, nec hujus quidem Sedis poteſt auctoritas. Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentiam.* Leo Magnus quoque Epiſt. 90. ad Ruſticum Narbonenſem: *Sicut quædam ſunt, quæ nulla poſſunt ratione convelli: ita multa ſunt, quæ aut pro neceſſitate temporum aut pro conſideratione ætatum oporteat temperari: illâ conſideratione ſemper ſervatâ, ut in iis, quæ dubia fuerint aut obſcura, id noverimus, quod NEC PRÆCEPTIS EVANGELICIS contrarium, nec DECRETIS SANCTORUM PATRUM inveniatur adverſum.* Denique & Hormisda Papa in Epiſt. ad Epiſc. Hiſpaniæ c. & quæ ſunt eadem cap. 9. *Prima ſalus eſt rectæ fidei, regulam cuſtodire & à conſtitutis Patrum nullatenus deviare.* Id quidem fieri poteſt, ut illi, penes quos ſumma poteſtas eſt circa ſacra, ea, quæ juris divini poſitivi aut etiam Eccleſiaſtici ſunt, pro re natâ ſic interpretentur, ut aliquo in caſu haud obtineant locum. Quâ ratione etiam Principes ſeculares interpretantur præceptum hoc naturale, *Non occides,* quando definiunt, non habere id lo-

cum, *ubi quis defendendi ſui cauſâ hominem occidit*, quæ interpretatio occurrit; l. 2. C. ad L. Cornel. de ſicar. & l. Ut vim D. De juſtitiâ & jure. Item ubi quis publicâ autoritate, exigente ita juſtitiâ, traditur internecioni. Ita Eccleſiæ præſules paſſim legem iſtam Chriſti de baptismo, quæ extat Joh. III, 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu, non poteſt ingredi regnum Dei*, interpretantur, quando pertinere hanc ſententiam ajunt non ad eos, qui lavacri quidem regenerationis deſiderio tenentur, ob neceſſitatem interim ab eo excluduntur, quam interpretationem in Corpore Canonico reperimus C. Debitum decretal. Gregorii de baptismo, nec non c. 2. de Clerico non baptizato. Interpretatio quoque legis & quidem Eccleſiaſticæ eſt, cum lege jejunii dicunt non teneri ægrotos, infantes, ſenes, gravidas & lactantes aliosque tales. Verùm ALIUD EST LEGIS EXPLICATIO, ALIUD DISPENSATIO CIRCA EAM. *Qui* enim DISPENSAT circa legem, relaxat eam, aliquid immutat aut tollit in ea. *Qui* autem *eam* EXPICAT vel interpretatur ſive declarat, nihil immutat in eâ, ſed ſolùm oſtendit legem ad hos & ſimiles caſus non pertinere, vel non fuiſſe illos ab initio mente legis comprehenſos. Quemadmodum & qui teſtamentum fecit, ſed obſcurius quid in eo poſuit, declarans illud nihil in eo immutat. *Nihil* enim *tunc dat, ſed datam ſolum ſignificat*, juxta l. Hæredes palam D. Qui Teſtamenta facere poſſunt, & quemadmodum teſtamenta fiant. Unde cum Ulpianus l. Jus civile D. de juſtit. & jure jus civile fieri ait, *cum aliquid additur vel detrahitur* juri naturali; pro detractione ſive immutatione ſine dubio declaratio accipienda eſt, quod ſcilicet propter certas quasdam rei circumſtantias quibusdam caſibus jus naturale ceſſet, non autem, quod reipsâ ei aliquid detrahatur. Abſurdum enim prorſus esſet ex additione aut detractione juris naturalis jus civile conſti-

conſtitui, cum illud auctore ipſomet Ulpiano l. 1. D. de juſtitiâ & jure ars æqui & boni dicatur. Jam LEGE POSITIVA DIVINA POLYGAMIA SUB N. T. EST SUBLATA, quæ & in judicatum abiit in universâ Chriſti Eccleſiâ. *Diſpenſare ergò circa eam nulla poteſtas humana poteſt, nec civilis, nec ea, quæ circa ſacra eſt*, ſi Chriſtianum ſuſtinere vult nomen. Unde Hilarius III. capit. 11. decretalium Gregorii de transactionibus ad Praxeden Presbyterum Cardinalem: *Poteris ad componendum interponere partes tuas & interdum aliquid ſeveritati detrahere, prout (ſtatu imperii & excedentium multitudine providâ deliberatione penſatis) videris expedire: exceptis nimirum caſibus, qui COMPOSITIONIS SIVE DISPENSATIONIS REMEDIUM NON ADMITTUNT? utpote conjugii ſacramentum, quod cum non ſolum apud Latinos & Græcos, ſed etiam apud fideles exiſtat, à ſeveritate canonica circa illud recedere non licebit. In his verò ſuper quibus jus non invenitur expreſſum, procedas (æquitate ſervatâ) ſemper in humaniorem partem declinando, ſecundum quod perſonas & cauſas, loca & tempora videris poſtulare.* Atq; ex hac cauſa Jus Canonicum bigamiam ne quidem ſucceſſivam concedit Sacerdotibus, quod putet contra præceptum Apoſtoli eſſe, ſi ea iſtis permittatur. Sic enim Lucius III. cap. 2. decretal. Gregorii de bigamis non ordinandis: *Super eo, quod tua fraternitas de bigamis requiſivit: reſpondemus, quod ordinatores eorum, poteſtate & officio ordinandi, & ordinati ſi ad ſacros ordines fuerint promoti, eis ideo ſunt privandi, quia in bigamis CONTRA APOSTOLUM DISPENSARE non licet, ut debeant ad ſacros ordines promoveri: vel in eis ſi promoti fuerint, remanere. In Ordinatore autem poteſt diſpenſatio adhiberi, ut ordinandi poteſtate & officio non privetur.* Et Cœleſtinus III. ibidem cap. 3. *De bigamis Presbyteris & viduarum maritis idem*

ſanci-

ſancimus omninò, ut nec viventibus uxoribus, nec defunctis ad divinorum debeant celebrationem admitti: maximè cum à DOCTRINA ſit APOSTOLI ET INSTITUTIONIBUS ECCLESIÆ alienum. Sed & Innocentius III. his conſentit. Sic enim ille eodem titulo cap. 4. *Nos in quæſtione taliter reſpondemus, quod cum hujusmodi Clericis, qui quantum in ipſis fuit, ſecundas mulieres ſibi matrimonialiter conjunxerunt, tanquam cum BIGAMIS NON LICEAT DISPENSARE.* QUANTO MINUS ergò per diſpenſationem ulli *licebit ſimultaneam concedere polygamiam*, cum ea â Chriſto exſertâ lege ſit ſublata? Unde Durandus à Portiano in lib. 4. ſentent. diſt. 33. quæſt. 1. ad quæſtionem: An modo liceat ſub lege Evangelii habere plures uxores ex diſpenſatione Eccleſiæ? reſpondet: *Tenetur communiter, quod non: quia nullus poteſt diſpenſare in ſtatuto Chriſti. Sed Chriſtus inhibuit pluralitatem uxorum.* Et poſteà: *Non habere plures uxores eſt præceptum Chriſti, in quo nullus poteſt diſpenſare, cum Papa & cæteri Prælati ſint ſolum vicarii & miniſtri Chriſti, & non Domini & legislatores, ſeu mutatores legis per Chriſtum editæ.* Et Gabriel Biel ad eandem quæſtionem diſt. 33. lib. 4. ſentent. *Non licet in lege novâ & Evangelicâ virò uni plures habere uxores etiam diſpenſatione papali, vel humanâ — Probatur Matth. 19. Marc. 10. & 1. Cor. 7. & alibi. — Poſſet quidem Deus diſpenſare nunc, ſicut tunc, ſi ejus placeret voluntati: quia autem hodiè non diſpenſat, non licet.* Conſona his habet etiam Alphonſus Toſtatus, qui prolixè idem confirmat quæſt. 36. in Matth. *Dicendum,* inquit inter alia, *quod non poteſt per Eccleſiam diſpenſari circa pluralitatem uxorum. — quia eſt contra legem Chriſti, cum expreſſè vetuerit Chriſtus oſtendens, quod deberet eſſe una.* Et rurſus in fine: *Circa pluralitatem uxorum, licet ad mores pertineat, Eccleſia non habet poteſtatem* diſpenſandi, *eò quod per Chriſtum ſtatuta*

tuta eſt unitas uxoris : & ita non poteſt in hoc Eccleſia cum aliquo diſpenſare, quod plures uxores habeat. NEC FACILE ſecta aliqua Chriſtianorum hodie reperitur, quæ DISPENSANDI circa hanc legem ſibi *arroget facultatem*, niſi ABYSSINORUM Reges excipiamus, quos ſibi poteſtatem iſtiusmodi arrogare ſupra ex Zagazabo vidimus. Sed fit hoc de facto, non de jure, & contradicente Eccleſiâ, ceu ex Alvareſio obſervavimus jam antè.

XLVII. Aſt non videtur, inquies, dubium, quin multi in primitivâ Eccleſiâ fuerint polygami tam ex gentibus, quàm Judæis converſi, utut rara eſſent in Occidente polygamiæ iſtiusmodi exempla, quos tamen non veriſimile eſt Apoſtolos Eccleſiâ arcuiſſe, ſed recepiſſe, non obſtante polygamiâ. Nec ſine injuriâ videbitur adhuc hodiè illa prohiberi, ſi Turca vel Judæus aliquis polygamus ad religionem Chriſtianam convertatur. Non intervertendum enim eſſe videtur uxoribus ipſorum jus ſuum in maritum, nec conditionem illarum deteriorem ſub Evangelio eſſe oportet. *VERUM non eſt hîc de veriſimili quæſtio, ſed de vero*, inter quæ non exiguum eſt diſcrimen. Multa enim veriſimilia ſunt, nec tamen vera. Et veriſimile eſt fieri aliquid præter veriſimile. Ita veriſimile eſt πρεσβύτερον σοφώτερον εἶναι, ut ait Plato in Theætet. & tamen pueri dantur etiam centum annorum Eſ. 65, 20. *Veriſimile* eſt, ait etiam Ariſtoteles 1. Rhet. cap. 9. *ex bonis bonos eſſe & eum, qui ita educatus talem eſſe*. Sed quoties hoc fallit ? Nam & heroum filii noxæ. Unde Antiphon Orat. 3. reprehendit eos, qui τὰ εἰκότα ἀληθέσιν ſive vera veriſimilibus putant eſſe ἴσα ſive æqualia. Et Orat. 5. rurſum τὰ εἰκότα diſtinguit ab ἔργῳ, dicens: Ἐγὼ δ' οὐκ ἐκ τῶν εἰκότων ἀλλ' ἔργῳ δηλώσω οὐ παραγενόμενος, *Ego non ex veriſimilibus, ſed reipsâ non adfuiſſe oſtendam.* Et Plato in Euthydemo circa finem de Sermone Sophiſtarum : καὶ γὰρ ἔχει ἔτως

ὡς κεί-

ὃ κεῖται, εὐπρέπειαν μᾶλλον ἢ ἀλήθειαν, *Habet veriſimilitudinem potius, quàm veritatem.* Ariſtoteles quoque l. 4. met. c. 5. aliud ait eſſe verè, aliud veriſimiliter dicere. Quibus conſentiens & Clemens Alexandrinus lib, 1. Stromatum: Ἕτερον, inquit, στοχασμὸς ἀληθείας, ἕτερον ἡ ἀλήθεια· ἄλλο ὁμοίωσις, ἄλλο αὐτὸ τὸ ὄν. *Aliud eſt veritatis conjectura & aliud veritas; aliud ſimilitudo, aliud idipſum quod eſt.* Et hunc imitatus Theodoretus ſerm, 2. adverſus Græcos, qui eſt de principio: *Aliud,* inquit, *eſt ſcire, aliud ſcire opinari eum, qui nihil ſciat. Plurimum enim inter ſe diſcrepant, ô amici, veritas & conjectura veritatis,* ἀλήθεια καὶ στοχασμὸς ἀληθείας. *Siquidem conjectura plurimis aberrat in rebus: veritas autem ita docet, ut contrarii nihil admittat. Aliter itaq; loquitur quisquam, cum veritatis conjecturâ ducitur, aliter veritas ſeſe ipſam interpretatur.* Sit ergo veriſimile Apoſtolos polygamis, quos in gremium Eccleſiæ receperunt, in polygamia vivere etiam deinceps permiſiſſe, numquid ideò & verum id fuerit? Sed & multa videntur veriſimilia, cum non ſint, ad eum modum, quo lithargyrina & ſtannea videntur eſſe argentea, & felle tincta aurea, cum tamen iſtiusmodi in rei veritate haud ſint lib. Sophiſt. Elench. c. 1. §. 2. Tale ſi etiam hoc aſſertum eſſe dixerimus, forſan à veritate non multum abluſerimus. *MULTO* enim *VERISIMILIUS EST Apoſtolos eis,* quos in conſortium accipiebant ex polygamis Judæis & gentibus *perſvaſiſſe, ut* unâ uxore, videlicet primâ, retentâ, reliquas dimitterent atque religionis legibus obſecundarent. *Quod & in aliis ab ipſis factum.* Veluti Gentiles perſvaſum habebant, non eſſe ſcortationem ſimplicem pro magno peccato habendam. Utut enim non negarent meretrices turpiter facere, quod meretrices eſſent, ceu loquitur Ulpianus l. idem D. de condit. ob turpem cauſam; non exiſtimabant tamen pecca-

peccare, qui illis venalibus ad ſcortationem uterentur. Quò ſpectat & lex illa Solonis, quam & Philemon in Delphis laudat apud Athenæum l. 13. Dipnoſophiſt. *Ne quis pro mœcho prebenditor in eâ, quæ vel in lupanari, vel publicè proſtat. Quæ publicè proſtant, etiam ſervorum injuriæ obnoxiæ ſunt.* Et Terentius in Eunucho Act. 5. ſcen. 5. ait: *Quis homo pro mœcho unquam vidit in domo meretricia prehendi quenquam?* Denique & Cicero Orat. pro M. Cælio ſcribit: *Si quis eſt, qui etiam meretricis amoribus interdictum juventuti putet, eſt ille quidem valde ſeverus, negare non poſſum: ſed abhorret non modò à ſeculi hujus licentiâ, verùm etiam à majorum conſvetudine atque conceſſis. Quando enim hoc non factum eſt? quando reprehenſum? quando non permiſſum? quando deniq; fuit, ut quod licet, non liceat.* Verùm hac licentiâ Apoſtoli gentiles converſos uti non permittebant amplius, quin potius ſcortatione etiam ſimplici eis interdicebant expreſſe Act. XV, 27. *SED ET DEMUS toleraſſe Apoſtolos polygamos ex Judæis & gentibus converſos*, atque ad minimum invitas uxores ut dimitterent non coëgiſſe, inde tamen nondum ſequitur eſſe polygamiam etiam aliis concedendam, qui non ex paganiſmo aut Judaiſmo primum ad Chriſtianiſmũ acceſſerunt, ſed ab ipſis incunabulis Chriſti legibus fuere innutriti. Nam & CIRCUMCISIONEM ad tempus tulerunt in Chriſtianis ex Judæis oriundis; atq; non minus ac Judæi SABBATI DIEM celebrarunt, etiamſi Chriſtus & circumſionem ſuſtuliſſet, & à Sabbati aliorumque feſtorum dierum, quos lex vetus Judæis præſcripſerat, ſuos exemiſſet celebratione, ceu patet ex Gal. V, 2. Col. II, 17. & aliis locis. Sicut autem & circumciſio & ſabbatum pedetentim, incrementa ſumente Chriſtianâ religione, penitus fuere abrogata: *ita & POLYGAMIA*, ſi in quibusdam illa in principio Eccleſiæ adhuc fuit tolerata, temporum progreſſu prorſus

 fuit

fuit abolita atque ex Eccleſiâ proſcripta. Unde & juxta Corpus Canonicum nunc ſi Paganus aut Saracenus aut Judæus, multas habens uxores, Chriſtianus factus fuerit, ille omnes relinquere cogitur præter primam. Sic enim ſtatuit Innocentius III. in decret. Gregorii de divortiis cap. 8. *Quia Pagani*, inquit, *circa plures inſimul fæminas affectum dividunt conjugalem, utrum poſt converſionem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant, non immeritò dubitatur. Verum abſonum hoc videtur & inimicum fidei Chriſtianæ, cum ab initio una coſta in unam fæminam ſit converſa, & divina Scriptura teſtetur, quod propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ & erunt duo in carne unâ non dixit, tres aut plures, ſed duo: nec dicit, adhærebit uxoribus, ſed uxori. Nec ulli unquam licuit inſimul plures uxores habere: niſi cui fuit divinâ revelatione conceſſum quandoq; interdum etiam fas cenſetur; per quam ſicut Jacob à mendacio, Iſraelitæ â furto, Samſon ab homicidio, ſic & Patriarchæ & alii viri juſti, qui plures leguntur ſimul habuiſſe uxores, & adulterio excuſantur. Sanè veridica hæc ſententia probatur etiam de teſtimonio veritatis teſtantis in Evangelio: Quicunq; dimiſerit uxorem ſuam ob fornicationem & aliam duxerit, mœchatur. Si ergò uxore dimiſſâ duci alia de jure non poteſt, fortius & ipſa retenta: per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroq; ſexu, cum non ad imparia judicentur, circa matrimonium reprobandam. Qui autem ſecundum ritum ſuum legitimam repudiavit uxorem cum tale repudium veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam eâ vivente licitè poterit aliam, etiam ad fidem Chriſti converſus, habere: niſi poſt converſionem ipſius illa renuat cohabitare cum ipsò: aut etiamſi conſentiat, non tamen abſq; contumeliâ creatoris, vel ut eum protrahat ad mortale peccatum: in quo caſu reſtitutionem petenti, quamvis de injuſtâ ſpoliatione conſtaret, reſtitutio negaretur: quia ſecundum Apoſtolum*

um frater aut ſoror, non eſt bujusmodi ſubjectus ſervituti. Quodſi converſum ad fidem & illa converſa ſequatur, antequam propter cauſas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compellatur. Hæc ibi Innocentius.

XLIIX. Dices fortè: Aſt diſpenſaſſe tamen etiam circa Polygamiam invenitur ipſe Epiſcopus Romanus. Conſtat id exemplo Comitis à Gleichen / qui ſuæ uxori ſuperinduxiſſe narratur etiam Saracenicam, idque approbante Pontifice Romano. Sic enim ex Chronico Thuringico refert Matthæus Dreſſerus Millenario 6. ad annum Chriſti 1217. his verbis : *Anno Chriſti 1217. Fridericus II. Rex Ungariæ, Andreas, Dux Bavariæ & Auſtriæ novas copias in Palæſtinam duxerunt. Ejus expeditionis ſocium etiam ſe præbuit Ludovicus Turingiæ Landgravius, Eliſabethæ S. maritus. Hunc ſecutus eſt Comes quidam Gleichenſis in Turingiâ, qui Ludovico Brunduſio mortuo, nihilominus iter ſuſceptum continuavit, & à Saracenis captus eſt. In captivitate cœpit eum amare filia cujusdam Baronis, quæ etiam liberationem illi pollicita eſt, ſi conjugium ipſi promittere, & ſociam reditus in patriam admittere vellet. Oblatam libertatis ſpem non negligendam quidem Comes duxit, ſed domi ſe reliquiſſe conjugem oſtendit. Puella nihil territa mentione conjugis alteram ſe velle uxorem eſſe profitetur. Res venit ad pactionem. Mox oſtendit puella elabendi occaſionem & cum novo ſponſo iter ingreditur. Ventum eſt Romam & à Pontifice impetrata abſolutio à bigamiæ peccato. Domum ubi rediit comes, ſolus ad primam conjugem ingreditur, ſalutat & amanter ab eâ accipitur. Non multò poſt, quomodo ſe res habent exponit & alteram ſe adducere uxorem narrat, cujus beneficio ſalutem & vitam retinuerit. Quodſi vivum ſe libenter ferat, ut Saracenicam uxorem, per quam ſervatus ſit, una ferat, contendit. Hæc lubenti animo ſe facturam indicat. Statim ergò Saracenica conjunx introducitur, & à*

Turingicâ non ſolum admittitur, ſed amatur etiam & colitur. Formâ antecellebat Saracenica, ſed formam penſabat fœcunditas Turingicæ. Erat enim ſterilis Saracenica. Itaq; ſobolem ex conſorte thori conceptam æquè diligebat & fovebat ac ſi propria eſſet. Effigies hujus Comitis cum utraq; uxore inciſa lapidi extat in templo montis Petrini Erfurdiæ. Hæc ille. Idem narrat Joannes Wolfius Lectionum memorabilium & reconditarum Centen. 16. ad annum 1515, nec non Laurentius Peccenſteinius in Theatro Saxonico part. 1. c. 16. p. 138, 139. aliique plures. Verum neſcio, an huic relationi per omnia ſit credendum. Tenuit enim iſto tempore, quo hæc contigiſſe dicuntur Romanam ſedem Honorius III. ſucceſſor Innocentii III, cujus ille ſanctioni, modò enarratæ, hac ſuâ diſpenſatione non parum derogaſſet, ſi vera iſta relatio eſſet. Quod facere eum voluiſſe veriſimile non eſt, utpote quem Platina teſtatur benè ac beatè vitam duxiſſe, ut bonum decuit Paſtorem. Adhæc nullus hiſtoricorum, qui iſtâ ætate floruerunt, hiſtoriæ hujus injicit mentionem, aſt rem tam memorabilem ſilentio non involviſſent, ſi verè contigiſſet. Laurentius Peccenſtein, quem paulò ante nominavimus, citat quidem pro eâ confirmandâ Aventinum, nec non Trithemium Abbatem: aſt in neutro horum tale quid deprehendi. Taceo, quod qui hiſtoriam hanc certam & veram eſſe arbitrantur, in circumſtantiis, præprimis & temporis, non per omnia concordent. Dreſſerus enim eam contigiſſe memorat poſt annum 1217. Wolfius autem ad annum 1515, eam refert. Neque factum hoc evincit per omnia monumentum, quod adhuc hodie Erphordiæ extat. Quamvis enim in eo ex utroque latere duas Comes adſtantes habeat uxores, alteram Reginam, coronâ ornatam, alteram Comitiſſam nudam ſculptam & infantes juxta pedes ejus reptantes, non tamen eò indicatur, quod utramque matrimonio ſibi junctam habuerit

tempore eodem. *SED DEMUS ID FACTUM, & quidem diſpenſante Pontifice alias probo*, ſub judice tamen adhuc lis eſſet, num diſpenſatio iſta debeat probari. Nam & pii Epiſcopi ſuos paſſi fuerunt manes, in caſibus præcipuè dubiis & intricatis. Erant tempore Dionyſii Aſcalonis Epiſcopi, qui baptiſmum Judæi cujusdam arenâ peractum probarent, ſed contra expreſſa Servatoris verba Joh. III, 5. Quibus idcircò meritò à Dionyſio contradicebatur, ut refert Sophronius Sophiſta vel potius Johannes Moſchus, aut Eviratus Prati ſpiritualis c. 176. Et Origenes Tract. 7. in Matthæum teſtatur, ſibi notos fuiſſe quosdam Epiſcopos, qui permiſerint quibusdam uxoribus, quæ divortium à viris tentarent, aliis viris nubere: quod tamen è diametro doctrinæ Servatoris Matth. XIX, 6. & Apoſtoli Rom. VII, 2. & I. Cor. VII, 39. adverſatur, indeque minimè fuit probandum. Verba ejus ſunt: *Scio quosdam, qui præſunt Eccleſiis, extra Scripturam nubere viro priori vivente: & contra Scripturam quidem fecerunt dicentem: Mulier ligata eſt, quanto tempore vivit vir ejus. Item vivente viro adultera vocabitur, ſi facta fuerit alteri viro Non tamen omninò*, addit, *ſine causâ hoc permiſerunt: forſitan enim propter hujusmodi infirmitatem incontinentium hominum, pejorum comparatione, quæ mala ſunt, permiſerunt adverſus ea, quæ ab initio fuerant ſcripta.* Quid ergò ſi humani aliquid etiam hîc paſſus ſit Honorius? Unde nec mirum, quod Comes ex ſecundo conjugio nullam ſuſceperit prolem. Voluit enim vel hac ratione Deus oſtendere ſibi polygamiam ſub novo fœdere neutiquam placere: nec facienda eſſe mala, ut eveniant bona, quod ſanè in hoc caſu, ſi vera eſſet narratio illa, factum fuiſſe tàm à Pontifice, quàm à Comite, dum ille contra legem Chriſti diſpenſavit, quo deſiderio Comitis & Saracenæ ſatisfaceret; hic verò iſtam violavit, ut libertati reſtitueretur.

XLIX. Sed quid, ſi perſona aliqua illuſtris Conjugem habeat ſterilem, ex quâ nulla ipſi ſpes relicta ſit prolis ſuſcipiendæ, annon diſpenſari tum poſſet, ut ille conſervandæ familiæ ſuæ causâ huic aliam ſuperducat, præſertim ſi id fiat cum prioris conſenſu, aut ſaltem ſine illius præjudicio? Verum fieri haud poteſt, ut absque prioris conjugis præjudicio ſuperducatur altera, ſi ipſa non conſentiat. Juxta Apoſtoli enim doctrinam vir non habet poteſtatem in corpus ſuum, ſed conjux, ut vidimus ſupra ex I. Cor. VII, 4. Præjudicium ergò ſi naſci illi ex ſecundo matrimonio non debet, omninò eam conſentire in illud oportet. Aſt conſentire non poteſt, ſiquidem ſe legi, à Chriſto promulgatæ, cupit præſtare conformem. Connubiale enim vinculum non aſtringitur ſolo contrahentium conſenſu, ſed multò magis ipſius Dei, utrumque conjungentis, autoritate, cui nihil derogare poteſt mutata contrahentium voluntas, quum Servator dicat: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, Matth. XIX, 6. Aſt fit utique ſeparatio aliqua, quando in plures divellitur, quod individuo nexu inter duos erat ſervandum. Neque juri ſuo quiſpiam renuntiare poteſt, aut certè non debet, niſi prius diligenter conſiderarit, quousque illud ſe extendat. In matrimonio autem alter alterius corpus quidem poſſidet, ut eo uti queat, ad alium verò illud ſuo arbitratu transferre non poteſt, quod penes Deum directum maneat dominium, qui etiam uſum illius certis conditionibus circumſcripſit & definivit. Et quidem ſub N. T. ſic, ut jus illud, quod unus in alterius corpus habet, non niſi duobus in ſolidum liceat uſurpare, adverſus quod nulla poteſtas humana diſpenſare poteſt. NEC EST, quod hîc prætendatur cupiditas generis propagandi. Sub Novo enim Teſtamento non tam propagandæ ſobolis ergò matrimonium contrahitur, quàm ut reliqui conjugii fines obtineantur,

neantur, ceu ibidem oſtenſum jam ſuprà Unde & non defuerunt etiam inter eos, qui ad ſum̃um dignitatis faſtigium pervenerunt, qui nuptiis peractis ex mutuo conſenſu per omnem vitam à maritali congreſſu religiosè abſtinerent. Exemplum Martiani & Pulcheriæ Auguſtæ adduximus jam ante. Addere autem poſſumus & alia. Edelreda ſane Orientalium Anglorum Regina bis nupta in utroq; matrimonio virgo perſtitit. Prior enim maritus, quia mala valetudine affectus ſtatim à nuptiis vitâ exceſſit: poſterior autẽ, audiens in thalamo Sponſam Chriſto Servatori virginitatem ſacraſſe, cum eâ concumbere noluit, teſte Polydoro Vergilio lib. Hiſt. Anglic. Sed & Richardis Conjux Caroli Craſſi ejusmodi exercuit continentiam, cumque Imperator adulterii crimen ei objiceret, eò quod cum Luidwardo Epiſcopo Vercellenſi aliquanto familiarius eam agere vidiſſet, ipſa intrepidè de virginitate illæſa non tantum gloriata fuit, ſed & paratam ſe dixit, ſi marito ita placeret, aut ſingulari certamine, aut ignitorum vomerum examine eam demonſtrare. Rem his verbis refert Regino lib. 2. Chronicorum : *Poſthæc Imperator - - Luidwardum, Epiſcopum Vercellenſem, virum ſibi percharum & in adminiſtrandis publicis utilitatibus unicum conſiliarium, objecto adulterii crimine, eo quod Reginæ ſecretis familiarius, quàm oportebat, immiſceretur, à ſuô latere cum dedecore repulit. Deinde paucis interpoſitis diebus conjugem Richardem (ſic enim Auguſta vocabatur) pro eadem re in concionem vocat, & (mirum dictu) publicè proteſtatur, nunquam ſe carnali coitu miſcuiſſe, cum plusquam decennio legitimi matrimonii fœdere ejus eſſet ſociata. Illa econtrà non ſolùm ab ejus, ſed etiam ab omni viri commixtione ſe immunem eſſe profitetur, & de virginitatis integritate gloriatur, idq; ſe approbare Dei omnipotentis judicio, ſi marito placeret, aut ſingulari certamine, aut ignitorum vomerum examine, fiducialiter adfirmat. Erat enim religioſa fæmina.* Meminit ejusdem

dem rei ex parte & Sigebertus Gemblacenſis in Chronico ſuo ad annum 889. Simile quid de Henrico Sancto Imperatore & Kunigundâ conjuge H. Mutius lib. 14. de Germanorum ritibus, moribus, legibus & geſtis memorat his verbis: *Henricus uxorem ſuam non attigerat; ipſa viciſſim caſtitatem ſervare cupiens conſenſerat ſponſo. Ita ambo degebant vitam cœlibem. Satan, qui nunquam quievit, neq; quieſcit, neq; quieſcet ante conſummationem, ſuſpectam Imperatori reddidit Reginam Kunigundam nomine adulterii (cum quodam enim equite aurato rem habere conabatur malas cogitationes ſuggerens Diabolus perſvadere Henrico.) Henricus incuſat eam, quam ſimulet & profiteatur caſtitatem coram hominibus, gravius judicium eam manere, Dominum, qui corda & oculos fecit, omnia videre, etiamſi fallat homines. Caſtiſſima virgo pudico & modeſto vultu conſtanter negat, & ſe gaudere, inquit, quod Dominum teſtem habeat, cujus teſtimonio ipſa ſit contenta: nam repoſitam in corde ſuo certam fiduciam, manifeſtam fore ſuam innocentiam, cum Domino tempeſtivum fuerit viſum. Ut autem Henrico hic ſcrupulus, quem Satan illi injecerat, eximeretur, convenit inter eos, ut Regina ambularet ſuper ferrum candens (vomerem candentem ſcribunt fuiſſe) quæ poſtquam invocavit nomen Domini, ut propter gloriam ſuam probaret innocentiam ancillæ ſuæ, læta, ſed modeſtiſſimâ fronte, nudis pedibus ferrum igne jamjam extractum & adhuc rubens calcat toties, quoties voluerunt ii, qui aderant teſtes miraculi, quod Deus cum virgine ſua ancillâ operatus eſt.* Idem confirmat Aventinus lib. 4. Annal. Bojorum & Albertus Crantzius in Hiſt. Saxonicâ aliique. Porrò & de Edvardo III. Britannorum Rege memoriæ proditum eſt, quod una cum Egicha uxore virginitatem cuſtodierit, non tam gloriæ ſibi ducens, quod urbes, populos, provincias, quam quod ſeipſum viciſſet, nullum Venereæ voluptati relinquens locum. Teſtis eſt M. Marulus Spalatenſis lib. 4. Exemplorum c. 7. Denique,

que, ut plura adducere exempla nunc ſuperſedeamus, & de Bolislao V. Polonorum Principe memoriæ proditum eſt, quod cum Cunegundam Belæ, Hungarorum Regis, Filiam uxorem duxiſſet, primisque nuptiarum diebus eam non attigiſſet, inde confirmato poſtea conſenſu unâ religione ambo perpetuam voverint continentiam. Unde Boleslao Pudici cognomen fuit inditum. Legi eâ de re poteſt Cromerus lib. 9. Sed & Clemens Latinius Polonus de eo canit:

Conjuge conſenuit cum virgine Virgo Maritus,
Addictus ſtudiis caſta Diana tuis.

